




In sugestu sedens Constantinus Congiarium Populo dat, infra Viri et Mulieres cum Filiis ad liberalitatem admissis.

1. Imperator trabea consulari indutus 2. tesseram seu tabellam largitionis, globulis interpunctam tenet, quorum singuli notam, sive numariam, sive frumentariam, sive aliarum rerum praeferebant. Hos globulos mulier pallii sinu excipit.

3. Mulieres cum Natis ad accipiendam liberalitatem manus extendunt. 4. Scribae, Tesserarii et Administri annonae, qui pro tesseris acceptis, iis, qui recepissent, schedulas rerum largiendarum in horreis publicis dabant.

Videtur in Arcu Constantini apud Bellor. *Veter. Arc. August. triumphal. Rom. 1690. No. 47.*

QVAESTIO ANTIQVARIA

DE

PVERIS ET PVELLIS ALIMENTARIIS.

SPECIMEN PRIMVM

EDIDIT

M. CHRISTIANVS HENRICVS PAVFLER

SCHOLAE AD AEDEM S. CRVCIS RECTOR.

CVM FIGVRIS AERE INCISIS.

DRESDAE, MDCCCVIIII.

SVMTIBVS F. G. WALTHERI BIBLIOPOLAE REGII.

Cum edita nuper monumenta, scholae nostrae historiam illustrantia, ex omni antiquitate hujus instituti, quantum fieri potuit, diligenter colligerem, [1]) ut non tantum satisfacerem lectoribus harum rerum cupidis, scholaeque nostrae fauentibus; sed mihi quoque munirem viam, qua, quos velim commendatissimos, utriusque ordinis scholae nostrae Alumnos, apud alios tutius juvare possem precibus: multis libris perlectis in eum quoque incidi locum, [2]) quo commemoratos et comparatione conjunctos cum scholae Alumnis reperi pueros Romanis dictos Alimentarios.

Ne igitur plane relinquam et aetatis et scholae nostrae consuetudinem, ex qua ejusmodi prolusiones scholasticae emittuntur latino sermone conscriptae, simulque iis geram morem, qui eo consilio non communem, sed e romana aut graeca eruditione depromtam cupiunt esse

[1]) Gedanken über das öffentliche Singen der Schüler auf den Gassen, nebst Nachrichten und Bitte, das Alumneum und die Currende der Creuzschule betreffend. Dresden, 1808. Leipzig, bey Wilh. Rein.

[2]) Wilischii *Oratio de prima Currendae et Chori symphon. institut. Dresd. et Lips.* 1705. *p.* 11.

materiam, id in primis elegi argumentum uberius tractandum, cum, qui peculiariter de eo exposuerint, praeter Rubenium [3]) ac Muratorium [4]) nullos plane cognoverim. Quibus licet usus sim ducibus satis idoneis, firmiter tamen niti non potui, siquidem hic Traiani inprimis examinat et illustrat institutum Alimentariorum Veleiatium in Italia, ille autem „morem, ab aliis ante non „libatum, nec absolvere, nec plura concenturiare vo-

[3]) Rubenii *Elect. Lib. II. Antv.* 1608. *Lib.* 2. *Cap.* 36. *p.* 86. *seq.* cujus verba repetita leguntur in Zimmermanni *Florileg. philol. hist. Misen.* 1687. *p.* 98. — Pitiscus adeo in *Lexico Antiquitt. rom. Tom.* 3. *p.* 210. Rubenium secutus ejusque verbis usus est. Etiam J. E. Kappius in Prolus. *de Alimentar.* Lips. 1735. qui inique queritur, vocem *Aliment.* frustra quaeri in Pitisci Lexico, Rubenii legit vestigia. Quam autem Lud. de Hemmer, Havniae 1733. edidit dissert. *de pueris atque puellis aliment.* non licuit perlustrare oculis. Sua, sed pauca ac dubia, habet Danet, *Diction. Antiquitt.* Amstel. 1701. quem sequi videtur Bergstraeser *Realwörterb.* sub voce *Aliment.* Brevem hujus instituti enarrationem habet etiam Joh. Guil. Berger *in Stromat. Acad. pag.* 585. *sq. de praestantia munificentiae alimentariae.*

[4]) *Dell' Insigne Tavola di Bronzo spettante di Fanciulli e Fanciulle Alimentarj di Trajano Augusto nell' Italia dissotterata nel Territorio di Piazenza l'anno* 1747. *intera edizione esposizione fatta da* Ludovico Antonio Muratori *etc.* Legitur haec dissertatio in Gorii *Symbolis literariis Vol. V.* qui et ipse *Exemplar Tabulae Traianae pro Pueris atque Puellis Alimentariis reipubl. Velejat. in Italia institutis etc.* expositioni Muratorii praemisit, *Florent.* 1749. Optanti nec legendi nec videndi copia fuit libelli *Turini* 1790. 4. edit. *Delle celebratissima tavola alimentaria di Traiano, scoperta nel Territorio Piacentino l'anno* 1747. *spiegazione, fatta da* Secundo Giusseppe Pitarelli. Quem etiam ignorare videtur Wolfius V. C. eandem rem enarrans doctissimo in libello novissime edito: *Von einer milden Stiftung Trajans etc.* Berol. 1808. 4.

„luit, ne forte putidum et ἀμετροεπῆ eum quisquam esse clamitet.“ Quod, si forte in eandem inciderim reprehensionem, mihi vitio verti haud vereor, cum nostrorum hominum tanta sit vetustatis cognoscendae aviditas, ut in omni antiquitate nihil plane missum faciant, ex quo vel ingenia vel mores priscorum recte perspici possint. Quare, quod Baudius [5]) Puteano, de quibusdam Plauti locis consulenti, simpliciter et familiariter respondet, mihi dictum minime puto, cum, quaecunque ad augendas vel mentis vel animi vires, quidquam contulerint, licet sint, qui huic labori nullum prorsus statuant pretium, nec temere suscepta nec frustra peracta judicemus, satis per-

[5]) Baud. *Epist. Cent.* 1. *Ep.* 59. Non est, *inquit*, otium, non aetas, non animus de iis curiose disserendi. Genus, ingenium tuum, et expectatio tuorum vocat te ad majores et meliores curas. Ego mihi laudi duco, quod Critica natio maximum probrum putat, haec talia ignorare. Ferunt Alexandrum, cui a magnitudine rerum gestarum virtus Magni nomen indidit, olim aspero sermone castigatum a patre, quem longe filio majorem judico, si mei arbitrii res sit; Alexandrum, inquam, pater increpuit, quod nimis scite aut caneret aut de canendi arte cum magistris disputaret. Sensit vir regia virtute et indole, parum convenire iis, qui ad summae fortunae spem educantur, operosum laborem ineptiarum. — Habet autem hoc genus scripturae omnino aliquid excusationis, qua utitur adeo Wolfius V. C. in praefatione libelli laudati: *Für viele Leser wird die Materie Neuheit genug haben. Denn oft ist unter uns wieder unbekannt geworden, was vor einem halben Jahrhundert auch den blossen Liebhaber und Leser gelehrter Zeitungen interessirte; so wie Andern hinwiederum gewisse Ideen wohl bekannt dünken, wenn sie vielleicht zum erstenmale gedruckt erscheinen, nachdem sie lange vorher aus Hörsälen einen stillern Weg ins Publicum genommen haben.*

suasi, neminem probe didicisse vitae, qui scholae non recte didicerit.

Sunt potius alii, quos verendos haud ambigo, qui scilicet, scholastico quidem pulvere me multum iudicent exercitatum, sed in illa elegantiori literatura, quae sane totum hominem requirit, ut pro honore seculi et commendatione argumenti recte et ordine tractari possit, tanquam in alieno foro me putent peregrinantem. Sed fortasse et eos, quos iniquos vereor indices, benignos et liberales habebo causae meae patronos, cum quae, genio notabiliter ad invidiam et obtrectationem nato, forte peccaverim in decerpendo pomo vetito, ea de causa accidisse putent ut non solum eorum consilia et ipsis et mihi salutaria, justa ratione patefiant, sed acutissima quoque doctissimorum virorum ingenia novo collustrentur splendore. [6])

Locum igitur, licet non ignotum plane atque desertum, a nemine tamen adhuc satis occupatum atque cul-

[6]) *Et vere et bene monuit olim* Facciolatus *Orat. XV. publice habita*: Solent homines liberaliter educati bonisque artibus ac disciplinis instructi, non tam inter se opinionis contentione, quam mutuis officiis certare: fitque plerumque ut hujusmodi controversiae, magno partis utriusque consensu compositae, vel veteres benevolentiae necessitudines confirment, vel novas constituant, ad literarum et artium commoda magis magisque propaganda. *Idem hoc* Voltarius *in Collectione Epistolarum* novissime editarum Epist. 73. *Je ne veux point de guerre d'auteurs. Les belles lettres devraient lier les hommes; elles les rendent d'ordinaire ennemis. Je ne veux point ainsi profaner la littérature, que je regarde comme le plus bel apanage de l'humanité.*

tum, cum mihi vindicare audeam, ne quid, quod explicatione et illustratione indigeat, relinquam intactum, video id mihi primum esse faciendum, ut collectis veterum scriptorum locis, hunc morem haud obscure memorantibus, ipsius instituti enarrationem simpliciter prosequar; deinde exponam de modo, quo usi sint imperatores eosque imitantes in conferendo hoc beneficio, eoque conservando et administrando; ac denique, praemissa de nominibus ac conditione horum puerorum ac puellarum disquisitione, investigem, quo institutum istud, vel potius instituta, forte spectaverint.

I.

Multi sunt loci apud historiae romanae scriptores, qui inde ab Augusti temporibus floruerunt, e quibus facili negotio non tantum in universum populum romanum, sed in pueros quoque ac puellas summa intelligitur imperatorum quorundam liberalitas. Sic apud Suetonium [7]) legimus Augustum congiaria populo frequenter dedisse, ac ne minores quidem pueros praeteriisse, quamvis ante, non nisi ab undecimo aetatis anno accipere consuessent. Quam rem,

[7]) Sueton. Aug. 41. ad quem locum confr. Casaubonus *ad Spart. Adrian.* 7. et Murator. *l. l. p.* 34.

ni fallor, paulo accuratius legimus enarratam a DIONE, [8]) qui Augustum dicit aestate a. u. DCCXXV. per Graeciam redeuntem in Italiam, cum intrasset urbem, populo viritim quadringentos nummos divisisse: puberibusque primum, deinde etiam pueris in gratiam Marcelli, sororis suae filii. Caesarum, in quorum humeros post Augustum ruebat imperii fastigium, licet quorundam celebratam legamus liberalitatem non inquinatam, sed infectam potius avaritia, crudelitate et vitiis atque sceleribus omnis generis [9]) praeter Nervam, si fabula vera est, nullus fuit simili in pueros studio clarus ac nobilitatus. Ille enim, teste Victore [10]) puellas puerosque natos

[8]) Dio Cassius *Lib.* 1. *Cap.* 21. Τῷ δὲ δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμὰς προτέροις μὲν τοῖς ἐς ἄνδρας τελοῦσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς παισὶ, διὰ τὸν Μαρκέλλον τὸν ἀδελφιδοῦν διένειμε.

[9]) *Cf.* Vincent. Contaren. *de frument. rom. larg. Cap.* 3. *seqq.* et Sueton. passim. De Neronis liberalitate Oiselius habet numum Tab. LXXIV. 5. cujus mentionem facit Tacit. *Annal. XIII.* 31. Suet. *Ner.* 11. et ſ. Dio Cass. LXI. 18. *cf.* Eckhel *doctr. num. vet.* Vol. VI. p. 271. — De Tito idem Oiselius Tab. LXXIV. 6. *cf.* Dio Cass. LXVI. 19. — De Galba extat numus apud Oisel. c. inscript. PIETATI. AVGVSTI, quem nonnulli de *pueris alimentariis* a Galba institutis interpretantur. Cum autem mentionem ejus rei in libris veterum nullam inveniam, magis, ut hoc nummo Galbae in adoptando Pisone celebratam arbitrer pietatem, inclinat animus. *Cf.* Eckhel *Vol. VI. p.* 297. et Rasche *Lexicon universae rei numariae Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1088. i. et *Tom.* 2. *Part.* 1. p. 1415. 8. sq.

[10]) Aurel. Victor. *Epit. XII.* 4. Reinesius *Syntagm. Inscript. Class. VI. n.* 24. *p.* 405. Nervam illius instituti auctorem fuisse contendit, nixus auctoritate hujus loci, — quem tribuit Paulo Diacono, (*che co-*

parentibus egestuosis, sumtu publico per Italiae oppida ali jussit. Cujus liberalitatis, ut in omni alia re laudabili, strenuum habuit imitatorem Trajanum, in quo laudando Plinius [11]) facit quoque mentio-

piò, ait Murator. *Aurelio Vittore*; qua de re consulendus est Kappius l. l. p. 5. qui affert, quae Trotzius monet *de memor. propag. Lib.* 1. *Cap.* 3. *p.* 224. *et Cap.* 12.) — et lapidis mutili quidem Pisaurensis, sed ab Oliverio sanati. At Muratorius, qui l. l. sequi videtur Salmasium *ad Capitol.* M. Aurel. *p.* 83. vult potius intelligi *Nervam Trajanum*. Sunt enim pag. 12. sq. verba ejus haec: *Sembra ben più sicuro il credere, che non Nerva, ma Nerva Trajano, figlio adotivo di Nerva fosse l'inventore di questa Munifizenza etc.* Cui sententiae, receptae quoque a Stockmanno V. C. ad Bacchii *histor. jurispr. rom. ed.* 1796. *pag.* 302. * favet silentium Dionis Cassii, qui Lib. LXVIII. 5. Trajani quidem in pueros atque puellas laudat munificentiam, et Nervae Lib. LXVIII. 2. in cives romanos summa egestate oppressos, quibus agrum dedit; sed beneficium ab ipso in pueros atque puellas collatum nullum plane commemorat. Attamen extat numus Nervae apud Oiselium XXVIII. 8. c. inscript. TVTELA. ITALIAE. S. C. Nerva Imperator togatus sellae curruli insidens, ante eum Italia cum duobus infantibus, puero et puella, stans ejus tutelae se committit. cf. Eckhel *VI. p.* 408. *et* 424. Tristan *Comment. histor. Tom. I. p.* 94. qui numus est a. u. 850. p. Ch. n. 97. Nerva Cons. III. — Alius Nervae numus est apud Oisel. LXXIV. 4. Eckhel p. 404. cum inscript. CONGIAR. P. R. S. C. cujus congiarii memoria, praeterquam in hoc numo, nusquam conservata legitur. Alius (Oisel. LXXV. 9.) cum inscript. PLEBEI VRBANAE etc. quam largitionem a nemine veterum auctorum memoriae traditam etiam aegre ferimus. Quare nullus dubito, quin mihi persuadeam Aurelium Victorem Nervae munificentiam laudasse, licet desint, qui ab eo stare videantur historici.

11) Plin. *Paneg. Cap.* 26. *coll.* 27 *et* 28. Quam Plinius laudat Trajani munificentiam, omnem transferre videtur ad annum imperii illius secundum. Cf. Bachii Trajan. pag. 20. sqq. et Lips. et Schwarz. ad loc. Plin. Quos Lamprid. *in Alex. Sever. Cap.* 48. laudat scriptores rerum a Trajano gestarum et quos Priscianus ab ipso Trajano conscri-

nem alimentorum parvulis datorum, qui munere educationis jam inde ab infantia eum parentem publicum experirentur. Idem ejus beneficium reliquis Italiae civitatibus contigisse affirmat Dio Cassius.[12]) Qua de re Plinius ita locutus est, ut magis eluceat et summi principis liberalitas et instituti laudabilis necessitas, cum quae priorum temporum principes in populi ac civium perniciem largissime contulerint, Trajanus, ad hos conservandos, augendos et ornandos summa adhiberet liberalitate atque prudentia. Nam paulo minus, si vera est lectio[13]) quinque millia ingenuo-

ptos dicit Commentarios, uberius fortasse egerunt de hoc instituto, at, prodolor! nostram non tulerunt aetatem. Ipse Tacitus, quam *histor. I.* 1. promiserat, Nervae ac Trajani historiam non dedit.

[12]) Dio Cass. *LXVIII.* 5. εἰς δὲ τὴν Ῥώμην εἰσελθὼν (a. u. 852.) πολλὰ ἐποίει πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν, καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν. ἐκείνων τε διαφερόντως ἐπιμελούμενος, ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τούτους εὐεργετῶν. Secutus sum in interpretandis his Dionis et Plinii locis non Eckhel. *Tom. VI. p.* 424. sed Tillemontium *Histoire des Empereurs etc. Tom.* 2. *p.* 894. sq. qui Plinium loqui contendit de pueris urbis Romae, Dionem de totius Italiae infantibus. Cf. Lips. ad loc. Plin. et Murator. l. l. p. 15. In Tabula ista a Gorio exhibita Trajanus dicitur Dacicus, quo nomine eum a Senatu scimus ornatum a. p. Ch. n. 103. s. a. u. 856. cf. Eckhel. *l. l. p.* 460. Plinius autem Panegyricum dixit a. p. Ch. n. 100. s. a. u. 853. Decebalo saltem nondum victo, nec Dacico bello finito, quod jam debellatum sane exercuisset ingenium Plinii, ingentemque laudandi copiam dedisset oratori absolutissimo; quid igitur hac in re statuendum sit, facili conjectura assequi possumus.

[13]) Cf. Gierig *ad loc.* Plin. *pag.* 80.

rum fuerunt, quae liberalitas principis conquisivit, invenit, adscivit, qui subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumtibus alerentur patriamque non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscerent, ex quibus porro castra et tribus replerentur, nascerenturque, quibus alimentis opus non esset. Et cum huc pertinere videantur tum lapides apud GRUTERUM aliosque, [14]) tum numi cum inscriptione ALIM.

[14]) Gruteri *Inscript. p. MLXXXIV.* 7. Rubenius *p.* 88. Murator. *CCXXX. n.* 5

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG.
GERM. P. MAX. TRIB.
POTEST. COS. IIII. P. P.
NOMINE. PVERORVM.
PVELLARVMQVE.

Quod marmor Muratorius apud Gorium p. 16. refert ad annum 102. nostrae aerae, statimque addit: *Diedi anch io nel Tesoro delle mie Inscrizioni p. CCXXX. n.* 3. *il frammento di un altro existente in Osimo, e spettante all' anno* 103. *o pure* 104. *in cui sono queste parole:*

. . . . NERVAE. F. NERVAE
. . . . O. PONTIFICI. MA
. . . . MP. VI. COS. V.
. . . . NIFICENTIAM. SVAM
. . . . SVBOLEMQ. ITALIAE
. . . . IT. MVNICIPIVM
. . . .

Vulpius *Vet. Lat. p.* 157. *Quod,* ait, (*institutum,*) *et in Beneventano triumphali Traiani arcu posteriori commendatum est, Luca Holstenio* (qui ed. Suaresii Praenest. antiqu.) *monumentum id oculato teste recensente ac referente.* E Tabula autem a Gorio et Terrasson. *hist. de la iurisp. rom.* ad fin. in *Vet. iurisp. monum. XXXVIII, p.* 27. *sqq.* exhibi-

ITAL.[15]) patet Traianum non secundo et tertio tantum, sed quarto, quinto et sexto consulatu haec alimen-

ta, a Muratorio autem descripta et explicata nuper a Pitarell. (quam confectam inde ab anno urb. 856. colligimus e titulo Dacici, cf. Eckel *Tom. VI. p.* 425.) cum ob spatii angustiam nec liceat totam repetere, nec libeat, quod ad hunc locum scire interest Lectoris, ipsius subiicimus iudicio. In summa nempe parte habet haec verba, per singulas septem columnas, quibus constat, excurrentia:

OBLIGATIO. PRAEDIORVM. OB. H—S. DECIENS. QVADRAGINTA. QVATVOR. MILLIA.
VT. EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXIMIQVE. PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI.
AVG. GERMANI. DACICI. PVERI. PVELLAEQVE. ALIMENTA. ACCIPIANT. LEGITIMI.
N. CCXLV. IN. SINGVLOS. H—S. XVI. N. F. H—S. XLVII. XL. N. LEGITIMAE.
N. XXXIV. SING. H—S. XII. N. F. H—S. IV. DCCCXLVI. SPVRIVS. I. H—S. CXLIV.
SPVRIA. I. H—S. CXX. SVMMA. H—S. LIICC. QVAE. FIT. VSVRA ƻ ∞ ƻ SORTIS. SVPRA. SCRIPTAE.

Explicata leguntur haec verba ap. Murat. p. 31. sqq. et ap. Wolf. pag. 16. qui Appendicis loco totam dedit Tabulam. cf. Brotier Tacit. *Tom. V. pag.* 389. *et* 453. *edit. min.* — Columna septima istius Tabulae inter alia habet haec:

ITEM. OBLIGATIO. PRAEDIORVM. FACTA. PER. CORNELIVM. GALLICANVM. OB. H—S.
LXXII. VT. EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXIMIQVE. PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE.
TRAIANI. AVGVSTI. GERMANICI. PVERI. PVELLAEQ. ALIMENTA. ACCIPIANT. LEGITIMI. N. XIIX.
IN. SINGVLOS. H—S. XVI. N. FIVNT. H—S. IIICCCCILVI. LEGITIMA. H—S. XII. FIT. SVMMA.
VTRAQVE. H—S. IIIDC. QVAE. FIT. VSVRA ƻ ƻ ∞ SVMMAE. S. S.

cf. Maffei *Mus. Veron. p.* 381. *sqq.* Asservatur hodie ista Tabula *Parmae* cf. Volkmanns *histor. krit. Nachricht. von Italien. T. I. p.* 346.

[15]) *Numus aureus:* Imperator distribuit alimenta parvulis: IMP. TRAIANO. AVG. GERM. DAC. P. M. TR. P. Figura sedens, dextra victoriolam, sinistra hastam: COS. V. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. ALIM. ITAL.

Numus argenteus: Figura muliebris, dextra cornu copiae, laeva puerum demonstrat imperatori, qui stat in suggestu, c. inscript. IMP. CAESAR NERVA. TRAIAN. AVG. P. P. — S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. — ALIMEN. ITALIAE.

ta pueris praebuisse, et hoc modo bis fere millies millia hominum aluisse. [16])

Plinius autem, quem novimus summum Trajani et laudatorem et admiratorem, in hujus, velut unici exempli, morem se formaturus, aemulatus est illius consuetudinem et in pueros liberalitatem. Pollicitus enim est, quod Saturnino suo scribit, [17]) testaturque marmor apud Gruterum, [18]) annuos sumtus

cf. Franc. Mediobarbus Birago, qui curavit edit. Adolphi Occonis *Numism. Imper. rom.* 1730. repet. a Philippo Argelatio, pag. 107. 160. et 163. Gorius quoque l. l. exhibet numum aureum, similem priori, quem Birago cusum putat a. u. 957. (rectius 857.) post Chr. n. 104. Murator. autem p. 16. eundem censet. cf. Oisel. *Thesaur. select. num. antiqu. LXXV.* 56. *et pag.* 124. *ad Tab. XXVIII.* 8. — Laurent. Patarolli *num. paneg. oratt. vet. Tab. I. n.* 8. *et* 9. — Schwarz. *num. Trai. n.* 26. *et pag. XXIX.* — Spanhem. *de usu et praest. num. Diss. XIII. pag.* 542. *Tom.* 2. — Antonii van Dale *Diss. I. Cap. XI. pag.* 164. *sqq.* — Tristan *Comment. histor. Tom.* 1. *pag.* 394. *sq.* — Eckhel *Anfangsgründe zur Numism. Tab.* 4. *fig.* 15. *pag.* 91. 92. — Rasche *Lexic. universae rei numar. Tom.* 1. *Part.* 1. *pag.* 463. *sqq.* — 465. *Tom. IV. Part.* 2. *pag.* 1552. *sq.* 1589. 1590. 1597. *et Supplem. Tom.* 1. *pag.* 570.

[16]) *Traianus* privatus lectus est Consul I. a. u. 844. II. a. u. 851. III. 853. IV. 854. V. 857. VI. 865. cf. Eckhel *VI. p.* 458. qui *p.* 425. hanc Traiani liberalitatem ac munificentiam per quinque postremos Consulatus illius, s. ab. a. u. 852. saltem, usque ad a. u. 865. publicis monumentis consignatam et nobilitatam innuit.

[17]) Plin. *Epist. Lib.* 1. *Ep.* 8. cf. *Lib.* 7. *Epist.* 18. 2.

[18]) Gruteri *Inscript. p. MXXVIII.* 5. Mediolani in Ambrosii templo, in tabula cujus scriptura introrsus posita marmore aptato ad tumulum, quem vulgo vocant reginae: ita, ut nisi ab iis, qui sepulchrum id ingrediantur, legi nequeat:

in alimenta ingenuorum municipii sui; [19]) ad quem usum quingenta millia numûm obtulerat. Nullum est dubium, quin plures privati [20]) et Traiani et Plinii

C. PLINIVS L. F. OVF. CAECILIVS
AVGVR. LEGAT. PROC. *) PR. PROVINCIAE. PONT
CONSVLARI. POTESTAT. IN. EAM. PROVINCIAM. ET
IMP. CAES. NERVA. TRAIANO. AVG. GERMAN
CVRATOR. ALVEI. TIBERIS. ET. RIPARVM. ET
PRAEF. AERARI. SATVRNI. PRAEF. AERARI. MIL
QVAEST. IMP. SEVIR. EQVITVM . . . .
TRIB. MILIT. LEG. III. GALICAE . . . . . .
X. VIR. ET. LITIB. IVDICANDIS. THER . . . .
ADIECTIS. IN. ORNATVM. H.—S. CCC. . . . .
AMPLIVS. IN. TVTELA. H.—S. CC. T. F. I. . . .
ET. LIBERTORVM. SVORVM. NOMIN. H—S. † |XVII| LXVI. DCLVI. REI
INCREMENT. POSTEA. AD. EPVLVM. PLEB. VRBAN. VOLVIT. PERTIN
AMPLIVS. DEDIT. IN. ALIMENT. PVEROR. ET. PVELLAR. PLEB. VRB. H—S. . . .
IN. TVTELAM. BYBLIOTHECAE. H—S. C. . . . .
. . . .

*) Vid. Spanhem. de usu num. p. 566.

† III. XVII. ita visuntur circumducta, tanquam per errorem marmorarii adjecta. Muratorius p. 18. hanc inscriptionem e suo Thesauro p. DCCXXXII. n. 1. affert ab Andrea Alciato emendatam: *Amplius dedit in alimenta puerorum et puellarum pleb. urb. H—S. C.* quae tamen emendatio melius fiet e Plinii Epist. VII. 18. H—S. D. h. e. quingenta millia numûm. Murat. p. 27. Hac inscriptione allectus Cortius Epist. Plin. cit. legi jussit *ingenuorum ingenuarumque* refragantibus et editis et manuscriptis libris. cf. Donati *Supplem. p.* 260. 1.

19) *Comum* scil. — Murat. p. 17. *Formo anch' egli il disegno di beneficare i suoi concittadini, cioè, seconde tutte le probabilità, i Comaschi.* Apud *Comenses* servari Pliniorum memoriam multis monumentis, affirmat quoque Razzonic. *in disquisitt. Plin. Tom. 1. p.* 110.

20) Reinesius *l. l. pag.* 163. *et* 405. Huic rei in primis fidem facere videntur latae de Alimentis leges: *de transact. D. l.* 8. et quae ex Imper.

exemplum sint secuti. In primis in imperio successores morem hunc commendabilem retinuisse videntur. Nam HADRIANUS pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit.[21]) ANTONINUS PIUS puellas alimentarias in honorem Faustinae uxoris constituit Faustinianas,[22]) et ANTONINUS PHILOSOPHUS non solum de

Marci oratione ibi allegantur; *de Aliment. D. leg.* 14. 15. *et* 20. §. 2. *ad leg. Falc. D. leg.* 95. §. 1.

[21]) Spartian. Hadrian. *Cap.* 7. ad quem locum vid. Casaubon. cujus e sententia ejusmodi largitiones peculiari modo nuncupata sunt *incrementa.* Muratorius autem p. 18. *cioe,* inquit, o *ne accrebbe il numero,* o *pure (comme più conviene al senso delle parole) ne aumentò l'annua pensione.* Et pag. 36. *Assegnò loro qualche danaro, o sussidio di più.* Huc pertinere videntur, quae leguntur apud Dionem Lib. LXIX. 5. et 8. ubi σφαίρια commemorantur, quibus, quod idem Dio docet *Lib. LXI.* 18. inscriptum erat, quod iis, qui missa rapuerant, largiebatur. De quo more consulendi sunt interpretes ad Sueton. *Ner. XI. et Calig. XVIII.* Lipsius *de magnit. Rom. II.* 11. *p.* 407. Oisel. Thess. *num. LXXIV.* 7. qui haec σφαίρια non globulos sed numos affirmat fuisse. Cf. Thomasin. *de tess. hosp. Cap.* 16. Thes. Gronov. *Tom. IX. p.* 250. *et* Fabretti *Inscript. pag.* 580. — Dio Cass. *LXI.* 16. *LXX.* 7. *et* Pausan. *VIII.* 43. — Numum c. inscript. TELLVS STABILITA, Eckhel *Tom. VI. p.* 510. interpretatur quoque de Alimentis.

[22]) *Capitol. Anton. P. Cap.* 8. Extant quoque lapides antiqui, quos habet Rubenius *p.* 86. *et* 88. Murator. p. 19. *et* Gruter. *pag. MXXII. n.* 6. *et* 7.

T. AELI. HADRIANI
ANTONINI. AVG.
PII. PONT. MAX.
TRIB. POT. XIII.
IMP. II. COS. IIII. P. P.
FILIO.
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARII.

alimentis publicis multa prudenter inve-

Fragmentum hujus lapidis legitur apud Suaresium Praenest. antiq. Lib. 1. Cap. 16. pag. 59. et apud *Vulpium Vet. Lat. Prof. Tom. IX. pag.* 156.

DIVO
ANTONINO
AVG. PIO
ALIMEMTARII

Muratorius p. 20. laudat e suo Thes. p. 238. n. 2. (cf. Donat. *Supplem. ad* Murat. *pag.* 334. 2) aliam inscriptionem, anno 1747. repertam:

IMP. CAESARI
DIVI. HADRIANI
FILIO. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. NEPOTI
DIVI. NERVAE. PRONE
POTI. T. AELIO. HADRI
ANO. ANTONINO. AVG
PIO. PONTIF. MAX. TRIB
POT. XII. IMP. II. COS. IIII.
P. P. PVERI. ET. PVELLAE
. . . . . . A. . . . ENT. RT
. . . . VIRIVSENOES. MONT. PNT.

Hujus lapidis facit quoque mentionem Maurus Sarti in diss. *de Antiqua Picent. civitate Cupra Montana,* ultima verba ita lecturus: CVPRIENSES MONTANI PosueruNT. — Extat porro praestantissimum hujus instituti monumentum, cujus quidem mentionem injecit Winkelmannus *hist. art. Tom.* 2. *pag.* 398. *ed.* Feae, aere autem incisum edidit, de eoque accurate scripsit Zoëga in *Li Bassirilievi antichi di Roma incisi da Tomaso Piroli colle illustrazioni di Georgio Zoega, publicati in Roma* 1807. *da* Pietro Piranesi *Tom.* 1. *pag.* 154. *sqq. Tabul. XXXII. et XXXIII.* Vides in fronte hujus libelli illius lapidis imaginem, quam debeo Viro Humanissimo Joh. Nath. Pezoldio, Medico Experientissimo, Doctissimo, omniumque, nostrarum in primis, literarum Amantissimo, cuius in recludendis rei antiquariae et omnis elegantiae thesauris, quos habet amplissimos, facilitatem ac liberalitatem, quam gratus agnosco ac veneror, satis laudare non possum. Eximium hoc artis monumentum Wolfius V. C. putat ornamentum aedificii, in quo data sunt

nit [23]) sed etiam, cum despondisset LUCILIAM filiam,

istis puellis alimenta. Ni fallor, aedificii illius superbi, ad alendas puellas a Faustina inchoati, absoluti autem ab Antonino. cf. Rasche *Tom. IV. Part.* 1. *pag.* 461. Cujus rei testem habemus lapidem graecis latinisque literis inscriptum, apud Vulpium *Vet. Lat. Prof. Tom. IX. p.* 153. qui circa aquae lustrat. vas legitur Praeneste ad divae Virginis Annuntiatae hujusmodi:

Γ. ΒΑΛΕΡΙΟΣ. ΕΡΜΑΙΣΚΟΣ. ΕΠΟΙΗΣΕΝ
CΑΡΑΠΕΙΟΝ. ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ
CΑΡΑΠΙΔΙ. ΚΑΙ. ΤΟΙΣ. ΣΥΝΝΑΟΙΣ. ΘΕΟΙΣ.

Alia vero ex parte habet lapis:

DOMVS. C. VALERI. HERMAISCI. TEM
PLVM. SARAPIS. SCHOLA. FAVSTINIANA
FECIT. VALERIVS. HERMAISCVS. DEDIC.
IDIB. DEC. BARBARO. ET. REGVLO. COSS.

(h. e. a. u. 910. post. Ch. n. 157.) cf. Kircheri Latium pag. 109. et Montefauc. *antiqu. ed.* Schatz. 1757. *pag.* 114. §. 8. *Tab.* 47. *n.* 5. Idem Vulpius p. 157. perhibet, lapidem Romae fuisse, sculptas puellas tredecim exhibentem, duabus a Faustinis in podio sedentibus exceptas: imo spicas, alimentorum de publico praebitorum insigne, excipientes: alio autem in lapide easdem Faustinianas puellas coronis ornatas exprimi. Qui lapides iidem esse videntur, quos Winkelmann. et Zoëga laudant. Ille fortasse secutus Menetrerium et Suaresium. — Habet et Oisel. Tab. LXXVII. 1. (cf. n. 2. et Mediob. p. 191.) numum Antonini Pii, cum inscr. PIETATI. AVG. COS. III. PIETAS. Caesar orbem terrarum dextra tenens propter imperium et sinistro brachio infantem nudum ferens adstantibus duobus aliis, vestibus indutis. Ex Rubenii et Harduini sententia, indicari creditur pietas Antonini ob institutos pueros puellasque alimentarios. cf. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1298. 33. — 36. *Tom.* 4. *Part.* 1. *pag.* 460. *sq.* (Sed vid. infra not. 37. et 38.) cf. Eckhel *Tom. VI. p.* 425. *Tom. VII. p.* 12. qui Antoninum ob hoc institutum dictum vult *Ampliatorem civium*, quod autem Wolfius V. C. p. 30. in not. negat. cf. Eckhel pag. 22. 26. et 40. ubi alium exhibet numum, c. inscript. PVELLAE. FAVSTINIANAE, quem, refragante Capitolino, Winkelmannus l. l. temere tribuit ipsi Faustinae. Alium numum ex Musaeo Nicolai Rokoxii, cujus Epigraphen mancam et vitiosam edidit

Lucio Aurelio-Vero, fratri, ob hanc coniunctio-

Occo, habet Rubenius *in Elect. p.* 87. quem quidem in honorem Faustinae Junioris cusum putat, effigie fortasse deceptus in ipso expressa, quae Junioris esse videtur. Docet autem Eckhel *Tom. VII. pag.* 41. nullos plane extare nummos in memoriam novarum puellarum ab Antonino Philosopho institutarum in honorem Faustinae Junioris. cf. Rasche *Tom. IV. Part.* 1. *pag.* 460. Eundem numum dat quoque Vulpius *l. l. Tab.* 3. quem vocat numum *scholae Praenestinae ad templum Fortunae*, et pag. 156. cum Menetrerio et Suaresio in eo caput Faustinae Majoris agnoscit (Quo facilius Lect. B. hac de re iudicare possit, hunc ipsum numum cum numis apud Rubenium et Spanhemium obviis aeri incidendos curavimus. Faustina Major, in omnibus, quos vidi, numis et lapidibus habet cirrum in vertice, Junior autem in cervice crines in nodum collectos. cf. *Museum Pio Clement. Tom. VI. Tab.* 49. et Beger. Thes.) Vulpius hisce de numis ita scribit: *Quam in rem argenteus pariter numus ab* Menetrerio *nostro recensetur, exhibeturque a* Suaresio; *cujus in antica facie* Faustinae Majoris *caput cum literis* DIVA FAVSTINA; *in postica*, Faustina *eadem in solio, tribunali, podio, seu pulpito publice sedens; puellam ab offerente sibi nutrice excipiens. Ad solii latus puella alia aliâ ab nutrice offerenda exhibetur, cum literis circa*: PVELLAE FAVSTINIANAE. — *Et alius apud Suaresium in Praenestina Mantissa, in quo adverso* Faustinae *caput, solito hujus mulieris capillorum peculiari ornamento. Literae*: DIVA FAVSTINA; *in averso autem aedificium duplicis contignationis repraesentatur, columnis suffultum. In inferiori puellae spicas, sive quid simile, manibus praeferentes quatuor, ad superiorem* Faustinam *suspicientes; nutrices duae infantes eidem* Faustinae *offerentes. In altera contignatione mulier stans puellam infantem offerens duabus aliis, sedenti alteri, alteri vero stanti, quas Majorem Minoremve* Faustinas *merito dixeris. In medio lectus, vel sella, vel mensa, ad oblatas puellulas collocandas; infra literae*: PVELLAE. *Circa utrimque divisim* FAVSTI-NIANAE. — De lapide illo, quem Zoëga dedit, alii aliter iudicarunt, cf. *Indicazione antiquaria per la Villa Albani n.* 542. *Si dicono representare una pompa con due sacerdotesse* — Sed in tanto doctorum virorum dissensu, quid verum sit, quis est, qui dicere audeat! Juvat tamen h. l. ea repetere, quae

nem pueros et puellas novorum hominum, frumentariae perceptioni adscribi praece-

Zoega super hac re disseruit. *Ancora*, inquit, *le medaglie a tal quelle che con la sua testa esistono ne evvi ragion di credere, che nel rovescio sia ella rappresentata piuttosto che sua figlia la giuniore* Faustina, *le cui fattezze si riconoscono nella figura principale del nostro Basserilievo, e la quale assai naturale è supporre del padre incaricata dell' annua distribuzione di questi alimenti.* Et paulo inferius: *Con queste monete egregiamente s'accorda il nostro bassorilievo, ove Faustina giuniore, ch'in quelle suppongo essere la figura assisa, trovasi sopra un suggesto in piedi assistita da altra donna, e stende il braccio in atto di versare certa cosa da un vaso oblongo quasi cilindrico nel seno d'una fanciulla che le si fa innanzi, seguita d'una schiera d'altre giovanette, delle quali le più vicine par che si preparino a far seno del loro manto, nel tempo che dalla banda opposta s'avvicina altra truppa di simili ragazze.* Faustina Senior diem obiit supremum a. u. 894. post. Ch. n. 141. numi vero spectant in primis a. u. 904. post. Ch. n. 151. — Suaresius *Praen. ant. pag.* 32. (Thes. Ant. Italic. *Tom. VIII Part.* 4.) commemorat praeter *puellas* Faustinianas *pueros* quoque, fortasse per errorem. Nisi enim institutum spectaverit Traiani, vel lapidem apud Gruter. *CCCXXX.* 3. qui laudat ALVMNVM FAVSTINAE, ab hoc quidem instituto alienissimum, quem auctorem secutus sit Suaresius, suis subinde delectatus commentis, plane non video.

[23]) *Capitol.* Anton. Phil. *Cap.* 11. qui *Antoninum*, inquit, *omni rei frumentariae consuluisse*, ac: *rei frumentariae grauiter providisse.* Ad quos locos, (illustratos quodam modo *leg.* 8. *D. de transact.* multa enim ibi explicantur, quae ab Antonino instituta sunt de alimentis testamento relictis aut mortis causa donatis,) dignus est, qui legatur Casaubonus, qui se nescire ingenue fatetur, quo ultima verba spectent, mentione rei frumentariae iam facta. Nullus autem dubitat, quin *res frumentaria* dicatur de frumentis universo populo e Sicilia, Aegypto et Africa apportandis, *alimenta* autem de *pane gradili*, (qui populo vel pro gradibus Amphitheatri, ut quidam volunt, vel tribunalis sive suggestus principis congiarium veluti praebentis, vel etiam ipsius Palatii, ut alii, verius fortasse, censent, distribuebatur. Quae distributio ne

pit, [24]) et paulo post in honorem uxoris mortuae petiit a Senatu, ut honores FAUSTINAE aedemque decernerent, ac novas instituit puellas FAUSTINIANAS [25]) Cum autem in COMMODO nihil observemus,

aliunde fieret, prohibebatur legibus Cod. Theod. 3. et 4. *Lib.* 14. *tit.* 17. *de annonis civis* et *pane gradili.* Habet etiam Gruterus *pag.* 175. *n.* 8. inscript. quae *panem populo per gradus divisum* commemorat. cf. Prudent. *adv. Symmach. Lib.* 1. 584. et *Lib.* 2. 948. Huc pertinere videntur numi, quos habet Oisel. Tab. LXXIII. 12. LXXIV. 2. 4. 6. 8.) Lipsius *frumenta* putat *aliment.* esse interpretamentum, qui etiam in *Elect. Lib.* 1. *Cap.* 8. brevissime hac de re egit.

24) *Capitol.* Anton. Philos. *Cap.* 7. *extr.* ad quem locum consulendus est Salmasius, qui loco *novorum hominum* legi vult *novorum nominum*, iustis quidem de causis, ita, ut haec verba eodem sensu accipiat, quo *Cap.* 26. dicuntur *novae puellae.* Casaubonus autem intelligendos censet *novos cives.* *Novi homines* salua lectione mihi videntur ii, quorum pueri atque puellae ad perceptionem frumentariam nondum admissi, tum demum fuerant adscripti. Quae autem infra commemorantur *novae puellae* Faustinianae, satis constat ita dictas ob puellas ab Antonino Pio iam antea a. u. 894. constitutas.

25) *Capitol.* Anton. Phil. *Cap.* 26. institutae a. u. 929. Mortua enim est Faustina Junior a. u. 928. post Chr. n. 175. subito morbo, quod idem narrat Capitol. in vico Halale in radicibus montis Tauri; quem vicum Anton. deinde fecit coloniam, Faustinopolin dictam ibique exstruxit Faustinae aedem, dedicatam postea Heliogabalo. cf. Spartian. *in Caracall. sub fin.* Aliam aedem Anton. et Faust. exhibet Montefauc. *ed.* Schatz. *p.* 116. §. 2. *Tab.* 48. 4. cf. Rasche Tom. 3. Part. 2. p. 1302. 27. Ad hanc Faustinam pertinet inscriptio apud Marin. *Inscriz. Alb. p.* 42. *n.* 37. cf. Winkelmann. *l. l. et* Zoega *l. l.*

quod faveat huic instituto,[26]) miramur saltem PERTINACIS, a Dione et Herodiano, aequalibus, ob humanitatem ac liberalitatem in cives laudati hominis [27]) ob-

IMP. CAESARI
DIVI ANTONINI. PII
FILIO. DIVI. HADRIANI
NEPOTI. DIVI. TRAIANI
PARTHICI. PRONEPOTI
DIVI. NERVAE. ABNEPOTI
M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. P. M.
TR. POT. XVI. COS. III. OPTIMO. ET
INDVLGENTISSIMO. PRINCIPI
PVERI. ET. PVELLAE. ALIMENTARII
FICOLNIENSIVM.

Cujusnam Principis munificentiam celebret marmor a Murator. *p. CDLXIX. n.* 9. editum, non constat. — De *Quaestoribus Aliment.* dicemus suo loco.

26) Liberalis quidem dicitur a Dione *Lib. LXXII.* 16. ita ut populo saepe CXL. denarios viritim dederit, maximam vero summam in venationibus, gladiatorum spectaculis etc. consumsit. cf. Herodian. *Lib.* 1. *Cap.* 3. 8. *et* 12. Oisel. *Tab. LXXIV.* 2. habet numum Commodi c. inscr. TR. P. VIII. IMP. III. COS. II. P. P. et infra LIBERAE. V. qua de re et Lampridius *in Commodo* 16. *Congiarum dedit populo, singulis denarios septingentos vicenos quinos; circa alios omnes parcissimus fuit, quod luxuriae sumtibus aerarium minuerat. cf.* Eckhel *Tom. VII. p.* 92. *et* 109. qui pro *denarios* mavult *sestertios*; cui tamen lectioni obstare videtur, quod idem Lampr. *Cap.* 3. narrat. Qui autem numi hujus Imperatoris exhibent mulierem sedentem adstantique puerulo aliquid porrigentem, c. inscr. PIETAS etc. non istum morem, sed aliam consuetudinem spectant cf. Eckhel *Tom. VII. p.* 128. *et* 132. et infra not. 37.

27) Dio Cass. *Lib. LXXIII.* 5. φιλανθρωπία τε γὰρ καὶ χρηστότης, καὶ οἰκονομία βελτίστη, καὶ πρόνοια τοῦ κοινοῦ ἐπιμελεστάτη, περὶ τὸν αὐτοκράτορα διεδείκνυτο. Et *Lib. LXXIV.* 5. τὸ δὲ ἐπιεικὲς, οὗ τὸ δίκαιον μεταλαμβάνει, πρός τε τὸ οἰκεῖον, καὶ πρὸς τὸ σῶφρον ἐνεδείκνυτο. — δίκαιος ἄνευ ἀκριβολογίας, οἰκονομικὸς χωρὶς ῥυπαρίας, μεγαλόνους χωρὶς αὐχήματος. Quem animum liberalem atque humanum ipse, imperio suscepto, declaravit oratione in Senatu habita, quam Herodian. *Lib.*

duratam verecundiam, qua, teste Capitolino, [28]) centum fere annos post consarcinante historiam suam, sustulit alimentaria compendia, quae novem

II. 3, 21. conservavit, qui et hujus rei luculentissima affert exempla *Cap.* 4, 11. *sqq.* cf. Victor. *Epitom.* 18, 4.

28) *Capitol.* Pertin. *Cap.* 9. ad quem locum Salmasius interpretatur *compendia* e gr. Gloss. *ἀφέλεια*, *impendia*, *τὰ ἐγχρῄζοντα*. *Casaubonus* haec annotavit: „videtur autem hoc dicere Capitolinus: non omnibus alimen„tariis debita fuisse alimenta; sed iis solum, qui beneficio Traiani pri„mum ad perceptionem frumentariam admissi erant, h. e. quinque illis „millibus puerorum ingenuorum, quibus frumenta dari Traianus insti„tuerat." Lips. *Elect.* 1. *p.* 247. *edit. Plant. Tom.* 1. intelligi posse fatetur, deberi alimenta a novem retro annis; sed blandiri sibi alteram expositionem, quae videatur firmari Suetonii loco Aug. 41. Porro addit: si annorum numerus definitus ad congiaria, quidni ad frumenta? ponit tamen haec ambigens, non adfirmans. — De usu vocis *compendium*, apud Juris interpretes *lucrum*, *quaestum*, *utilitatem* significantis, fultus adeo auctoritate Ciceronis, aliorum, multa disputavit Marcellus Donatus *in Dilucid. in Jul. Capitol. p.* 800. *Tom. VI. Thesaur. Critic.* Gruterian. Fortasse haud pigebit h. l. ea legere repetita, quae Muratorius l. l. p. 21. ad illustrandum hunc locum disseruit. *Sarebbe*, inquit, *de desiderare, che tale Storico avesse più chiaramente spiegata ai posteri l'iniquità d'esso Pertinace. Certamente da tali parole si deduce ch' egli sfacciamente soppresse* compendia *(le spese) che si facevano per alimentare i poveri Fanciulli e Fanciulle nelle Provincie d'Italia. Ma essendo io persuaso, come vedremo, che Traiano del proprio danaro acquiestasse diritto sopra una gran copia di Fondi, affinchè se ne alimentassero i Figli de' Cittadini bisognosi; e per conseguente, che tale aggravio non era imposto al publico Erario; non ben s'intende, come Pertinace giuniesse a guastare quella privata liberalità del suo Antecessore. Tuttavia bastante è quell'* obdurata verecundia *a farci concepire, che in fatti costui non si riguardasse dal commettere un ingiustizia si obbrobriosa; e tanto più perchè da li innanzi in niun monumento apparisce memoria degli* Alimentarj *suddetti.*

annorum ex instituto Traiani debebantur. Missos plane faciamus DIDIUM JULIANUM,[29]) SEVE-

Wolfius V. C. p. 31. *obduratam verecundiam* interpretatur *verhärtetes Zartgefühl.* Sed fortasse in laudem Pertinacis ipse Capitolinus scripsit, quae supra leguntur. Quod si enim *obdurata verecundia* eodem sensu dicta sit, quo *l.* 2. *Cod. de exactor. tribut. obdurata nequitia*, et a *Nazario Paneg. in Const.* 13. *obdurata patientia*, h. e. *pertinax, constans* et *firma; sustulit* autem non sit a *tollere* sed a *sufferre*, h. e. *offerre, praestare, suppeditare*, quo sensu legitur *l.* 21. §. 2. *D. de evict. et duplae stipul.* (*Si venditor victus litis aestimationem sustulerit.*) *l.* 2. §. 21. *D. pro emtore. l.* 6. *D. de sepulchro violato. l.* 70. *D. de liber. legata. l.* 9. *de furtis. l.* 22. §. 8. *D. soluto matrim.* (sustentationem i. e. alimenta mulieris sufferre.) cf. Brisson. *de verbor. signific.* sub. v. *sufferre*; et apud Varron. R. R. *Lib.* 2. *Cap.* 4.— quid est, quod impediat, quo minus credamus, Pertinacem a Capitolino iustis ornatum laudibus ob alimenta, quae ex instituto Traiani novem annorum pueris debebantur, verecundia summa et pertinaci, suppeditata? Cui sententiae favent et ea, quae Dio, Herodianus et Victor, mire consentientes, in laudem Pertinacis referunt. Hujus explicationis veritatem docet quoque contextus. Commemorat enim Capitolinus Pertinacis continentiam, sed ita, ut causam ejus statim addat: *praemia* nempe *militibus posuit; aes alienum, quod primo imperii tempore contraxerat, soluit; aerarium in suum statum restituit; ad opera publica certum sumtum constituit; reformandis suis pecuniam contulit; stipendia plurimis retro debita exsolvit; obeundis postremo cunctis muneribus fiscum parem fecit; alimentaria etiam compendia, quae novem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata verecundia sustulit*; Enarratis autem his rebus, liberalem Pertinacis animum satis declarantibus, ingenue fatetur Capitolinus: *avaritiae suspicione privatum non caruisse et consularem in provinciis quoque sordide egisse a multis relatum in literas*, mirans quasi tantam in Pertinace mentis mutationem, eamque probans. Adeo denique frequens esse videtur ea de re usus compositorum verbi simplicis *ferre*, ut Spartianus, quod supra vidimus, dixerit: *Traianus alimenta detulerat.* In hujus Imperatoris laudem plures quoque extant numi apud Eckhel. *Tom. VII. p.* 141. sqq.

RUM [30]) ejusque filios; [31]) MACRINUM [32]) porro et HELIOGABALUM, [33]) quorum quidem nonnulli congiaria largissima populo diviserunt, militibusque pecunias ex more imperium suscipientium; nullum autem legimus laudatum de institutis pueris atque puellis alimentariis. ALEXANDER SEVERUS claudere videtur agmen eorum,

[29]) Dio Cass. *Lib. LXXIII.* 11. χρηματιστής τε ἄπληστος καὶ ἀναλωτὴς ἀσελγής Et Cap. 16. ἔκτεινε δὲ καὶ παῖδας συχνοὺς ἐπὶ μαγγανεύμασι. cf. Spart. 7. et Herodian. II. 6. §. 9. et 18 Repugnare videntur, quae habet Spart. 3.

[30]) Laudat ejus liberalitatem Dio *Lib. LXXIV.* 5. τὸ δὲ ἐπιεικές, ἢ τὸ δίκαιον μεταλαμβάνειν, πρός τε τὸ οἰκεῖον, καὶ πρὸς τὸ σῶφρον ἐνδείκνυτο. Et *Lib. LXXVI.* 16. πορίζων πάντα τὰ ἀναγκαῖα ἐδαπάνα ἀφθονώτατα. cf. Herodian. *II.* 14, 10. *III.* 8, 8. *et* 15. Numus Juliae Domnae, uxoris Severi et matris Caracallae ac Getae, quem habet Oisel. *Tab. LV.* 5. haud dubie filios spectat, non alimentarios.

[31]) Apud Oisel. *Tab. LXXIV.* 8. est numus Antonini Caracallae, natu majoris, qui illustratur ab Herodian. *l. l* et Spart. verbis in Severo: *profectus ad bellum Parthicum — congiario populo dato.* — Quae de Caracalla a Dione *Lib. LXXVII.* 7. 8. et 17. coll. Herodian. *IV.* 5, 1. 7, 7. *sqq.* narrantur, omnem nobis adimunt spem, eum quidquam providisse de puerorum ac puellarum alimentis. Ex numo apud Eckhel. *Tom. VII. p.* 226. colligi posse videtur, Fulviam Plautillam huic favisse instituto.

[32]) Dio Cass. *Lib. LXXVIII.* 11. πολλὰ δὲ ἀγαθὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὑπεσχόμενα. Mutilatum hic doleo Dionis librum, quam rem Macrinus populo in primis largitus sit, nullam inveniens. Marcum quidem Antoninum, quod refert Herodian. *V.* 2, 7. *sqq.* ille sibi proposuit imitandum, sed levissima in re, loquendo scilicet adeo submissa voce, ut ne exaudiri quidem posset. Eum denique militibus stipendia diminuisse eosque privasse donativis, constat ex Dion. *Lib. LXXVIII.* 28.

[33]) Congiaria populo divisit ex more suscipientium imperium, Herodian. V. 5. 16. Teste autem Lamprid. *Heliog.* 8. caedit hostias humanas etc. uti Didius Julianus. cf. Eckhel *Tom. VII. p.* 247.

quorum nomina ob ejusmodi instituta ab historicis celebrantur. Erat enim miti ingenio et propenso ad humanitatem [34]) multaque largitus est populo. Et quemadmodum ANTONINUS FAUSTINIANAS, hic in honorem Mammaeae matris instituit puellas et pueros Mammaeanas et Mammaeanos. [35]) Haec autem instituta alimentaria post ALEXANDRI tempora non subito collapsa, sed potius sacris christianis admixta ab ecclesia ad pios usus fuisse conservata, facile patimur nobis persuaderi, praesertim cum, quae a Romanis vel civitatis vel religionis causa fuerint ordinata, intelligamus non statim interiisse cum ipsorum religione atque imperio, sed mutata facie nomineque mutato, cum ipso populo ad sacra transiisse Christianorum. [36]) Nullum quidem novi-

[34]) Herodian. VI. 1, 4. *ὑπῆρχε δέ τι καὶ φυσικὸν ἦθος πρᾶον καὶ ἥμερον τῷ Ἀλεξάνδρῳ, εἴς τε φιλάνθρωπον πάνυ ἐπιῤῥεπές. ὡς ἐδήλωσε καὶ ἡλικίας προχωρούσης.*

[35]) Ael. Lamprid. Alexand. Sever. *Cap.* 57. *extr.* — Mammaea laudatissima Patrum Christianorum femina. cf. Khell. *Supplem. p.* 14.

[36]) Favet huic sententiae quod habet Vulpius *l. l. p.* 158. Ceterum, *inquit*, Christiani mox Imperatores ac Reges, atque in primis Romani Pontifices, horum (*imperatorum scilicet priorum*) pietatem, ut, par erat, aemulati, ὀρφανοτρόφια, (*ad quam rem probandam* Suaresius *temere provocat ad leg.* 32. *C. de Episc. et Cleric.*) ac βρεφοτρόφια, scilicet publicas ad pueros atque infantes alendos educandosque, ac bonis artibus informandos, ubique Gentium, domos instituerunt. Quos inter (*ne quid omittam, quod* Vulpius *de suo addidit,*) Gregorii Tertii decimi eximia reluxit atque adeo relucet pietas, singulis paene nationibus populorum, Collegia instituentis; ac Sancti Parentis Ignatii Loyolae, Romae in pluribus hujusmodi fundandis domibus, ditibus ac princi-

mus scriptorem, e tanto monumentorum publicorum naufragio salvum, qui hujus instituti perennitatem doceat exemplis testimonioque muniat suo. Id autem posteris fuisse proditum testantur numi haud dubii, [37])

pibus e viris pecunia corrogata, hospitalis plane animus, ac publicae christianae rei iuvandae incredibile desiderium memorandum. Quodque fidem videatur excedere, verissimum tamen ac praesentissimum, nobis, qui Romae degimus; Innocentii Duodecimi spectatissima in puellas pauperes misericordia, non modo domum, cibaria, vestes, institutionem plurimis earum attribuit; verum Lateranenses ipsas Pontificias Aedes magnificentissimas ad inhabitandum concessit; quae propriae Romanorum Antistitum Primariam totius Orbis iuxta Servatoris Nostri Basilicam incolentium semper fuere. Cf. Ciacconii *Vitae et res gestae pontif. rom. Tom.* 1. *p.* 392. *F. et Histoire des Papes Tom. V. pag.* 401. Sa plus grande application étoit de faire du bien aux pauvres. Il les appelloit ses *Neveux*. Il en fit mettre jusqu'à 5000. dans le Palais de Latran, et assigna un fond de près 300,000 Ecus, pour leur entretien.

[37]) Hi numi non confundendi sunt cum aliis, qui eadem fere ratione Augustorum Augustarumque pietatem in liberos atque cognatos posteritati tradunt cum laude, e. g. Germanici in liberos et uxorem, Rasche *Tom.* 2. *Part.* 1. *p.* 1415. — Galbae cf. not. 9. — Domitillae Vespasiani, ob pietatem in educando et tutando Tito. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1288. *m.* — Commodi vid. supra not. 26. — Juliae Domnae vid. not. 30. — Matidiae ob educatas filias Sabinam et Matidiam iuniorem, Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1291. t. 6. 7. 8. — Sabinae, Eckhel *Tom. VI. p.* 522. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1295. *x.* 7. — Otaciliae ob pietatem in educando Philippo filio demonstratam. Rasche *l. l. p.* 1315. 16. — Gallieni, ob Valerianum et Julium Saloninos a Salonina marito natos. Rasche *ib. p.* 1324. 22. — Theodorae posterioris coniugis Constantii, vulgo Chlori, ob liberos marito natos. Rasche *ib. pag.* 1333. *mm.* — Hoc omnino est notandum, numos cum inscript. PIETAS. AVG. vel AVGG. triplicis esse generis. Qui enim muliebrem figuram cum patera exhibent aut manu ante aram extensa, aut ambabus manibus elatis, testantur Augu-

typum liberalitatis in pueros exhibentes cum inscriptione PIET. AVG. [38]) Vnde apparet, viguisse hunc morem

storum Augustarumque pietatem in Deos. Qui vero ornati sunt imagine matris, aut in gremio infantes foventis, aut manus super eosdem extendentis, frequenter adumbrant mutuam parentum ac liberorum charitatem. Tertium genus est eorum, quos putant denotare pietatem in alimentarios. Desunt in his, exhibentibus solummodo notam liberalitatis in pueros, vestigia sacrificii et mutuae illius charitatis. cf. Dopperti *Pietas ex numis*, *Schneebergae* 1710. — Numi, in quibus idem fere typus apparet, cum inscript. ABVNDANTIA, ABVNDANTIA AVG. et ABVNDANTIA TEMPORVM, imperatorum largitiones spectare videntur. cf. Rasche *Tom.* 1. *Part.* 1. *pag.* 30. Absolutissimum indicem numorum cum inscript. PIET. AVG. perhibet Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *pag.* 1271. *sqq.*

[38]) Hujus generis sunt: Antonini Pii, vid. not. 22. — Marciae Otaciliae Severae, Philippi Senioris, quam Christianam multi crediderunt veterum. cf. Eckhel *Tom. VII. p.* 332. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1316. 21. — Zenobiae, Eckhel *Tom. VII. pag.* 498. — Diocletiani, Rasche, *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1332. *iiii.* —, Juliae Titi. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1289. o. — Faustinae Junioris, Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *pag.* 1304. 3. — Lucillae, L. Veri, Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1305. *ff.* 5. qui numus ex Harduini (*Oper. p.* 778.) sententia indicat Lucillae curam pauperum.— Faustae Constantini M. (Fausta stans infantem sinistra gestat, dextra alteri pro pedibus adstanti porrigere aliquid videtur: PIETAS AVGVSTAE.) Ipse Eckhelius *Tom. VIII. pag.* 99. hunc numum de pietate in alimentarias puellas interpretatur. cf. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *p.* 1335. *pppp.* 2. Quod idem Eckhel. *Tom. VII. pag.* 409. innuit de numo Gallieni, quem tamen rectius iudicamus cusum eo consilio, quo numus ab Eckhel. *l. l. p.* 422. laudatus. — Flaviae Juliae Helenae, Juliani, filiae Constantini M. et Faustae, Eckhel *Tom. VIII. p.* 143. *et* 154. Rasche *Tom.* 3. *Part.* 2. *pag.* 1333. *mmmm.*

poſt Constantini Magni [39]) adeo tempora, licet non satis constet, qualis fuerit Margaritta, [40]) quae Theodosii

[39]) In Constantini M. arcu (ex triumphalibus Traiani monumentis dejectis excitato, exornatoque oblonga tabula Constantini M. facta exhibente) prope Amphitheatrum Flavium Romae, huc pertinere videtur congiarium populo datum cf. Bellorii *Veter. Arcus August.* 47. Constantinus, victo Maxentio, sedens in suggestu dat congiarium populo; infra viri et mulieres cum pueris ad hanc liberalitatem admissis, qui ad beneficia accipienda manus extendunt.

[40]) Cf. Eckhel *Tom. VIII. pag.* 304. Puellas atque Pueros Alimentarios in templis et publicis in pompis urbem circumeuntes decantasse preces carminibus comprehensas, docet Vulpius *l. l. p.* 159. Mutata religionis facie, ejusmodi puellae ac pueri adhibebantur haud dubie in publicis supplicationibus et obambulationibus sacris ad hymnos solemnes decantandos. cf. Durant. *de rit. eccl. Lib.* 2. *Cap.* 10. 9. quam consuetudinem a paganis ad Christianorum sacra transiisse, innuit adeo Casalius *de vet. sacr. christ. rit. Romae* 1647. *p.* 180. — Quae monet Hieronymus *in Comment. in Epist. ad Ephes. Lib.* 3. (Oper. Tom. 9. pag. 187. ed. Francof.) satis indicant, suo tempore ab *adolescentulis* in ecclesia hymnos fuisse decantatos: *audiant*, inquiens, *haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce sed corde cantandum, nec in tragoedorum modum, guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica, sed in timore, in opere, in scientia scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellare κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quae leguntur etc.* — Theodosium adhuc iuvenem instituisse λιτανίας, refert Nicephor. *hist. eccl. Lib. XIV. Cap.* 3. ὕμνους Θεῷ ἀναπέμποντες καὶ μία ἐκκλησία σύμφωνος, ἀθρόον ἡ πόλις ἐγίνετο. αὐτὸς δ' ἐκεῖνος μέσος ἐξῆρχε τῶν ὕμνων, ἐν ἰδιώτου σχήματι πορευόμενος. Idem Nicephor. *Lib. XIV. Cap.* 46. Cedrenus *in Theodos. ed. Par. p.* 342. *et* Theophanes *Chronogr. ed. Par. p.* 80. quantum Theodosius ejusque soror Pulcheria delectati sint cantu, his docent verbis: ἡ δὲ μακαρία Πουλχερία, καὶ ὁ ταύτης ἀδελφὸς ὑπεραγασθέντες τῷ θαύματι, ἐθέσπισαν κατὰ πᾶσαν οἰκουμένην τὸν θεῖον τοῦτον ψάλλεσθαι ὕμνον. καὶ ἀπὸ τότε παρέλαβον πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι

SECVNDI temporibus publicum puerorum ac puellarum moderabatur cantum.

Sed haec hactenus. Restat ut paucis indicem, quo potissimum consilio hunc qualemcunque libellum curavi divulgandum. Pio nempe ac grato animo recolenda est memoria Eorum, qui studio plane singulari et optata benevolentia scholam nostram ornant tum florentem, tum laborantem defendunt beneficiis amplissimis ac pene divinis. Semper enim fuerunt, et adhuc sunt, — quos Deus generi humano velit servare incolumes! — quorum omnis actio, ratio et cogitatio nihil aliud est, nisi con-

καθ᾽ ἑκάςην ἡμέραν ἄδειν αὐτὸν τῷ Θεῷ. Et Niceph. *XIV.* 3. *init.* καὶ δὲ σὺν ταῖς ἀδελφαῖς ὀρθρίζων, ὕμνους ἀντιφώνους ἐξῇδε Θεῷ. De exstructis a Pulcheria pauperum habitaculis et reditibus congruis regia liberalitate adsignatis etc. cf. idem Theophanes *l. l. pag.* 70. *et* 91. — Huc fortasse etiam spectant, quae habet Socrates *hist. eccl. Lib. VII.* 8. quo tradit Arianos cecinisse ᾠδὰς ἀντιφώνους πρὸς τὴν Ἀρειανὴν δόξαν συντεθέντας, idque noctu pariter et interdiu fecisse. Quibus Johannes Chrysostomus quosdam opposuit, qui nocturnos perinde hymnos cantando, Arianorum studium obscurarent et suos in professione fidei confirmarent. cf. Sozomenus *hist. eccl. VIII.* 8. et Theodoret. *hist. eccl. II,* 24. — Leges ea de causa contra haereticos latae leguntur *l.* 3. *C. de haeret.* et *l.* 30. *C. Th. de haeret.* Qua tamen coniectura, mihi scribenti sub manu, quod aiunt, minime nata, certiorum gnaro neutiquam leges scribantur. A vero autem si qua forte in re aberraverim, *felicem* cum Harsdoerfero (*Phil. Germ. Praef.*) *reor errorem, qui discendi occasionem mihi aliisque opportune spondet.* Nam aut doceas me errantem, aut confirmes recte sentientem opto. Ceterum Lectores Benevolos humanissime velim rogatos, ut, quae fortasse oculos effugerint σφάλματα operarum, memo-

stans, perpetuum et immortale meritum in homines, praecipue in iuventutem virtuti et literis diligenter operam navantem. Haud paucos et nostrae scholae gratulamur beneficos ejusmodi homines, qui, ut pauperes literarum studia ardentius prosequi velint, eorum diligentiam, a majoribus liberalissime excitatam, annuis beneficiis vehementer cupiunt auctam. Faxit Deus, ut et horum benignitate pauperes discipuli semper laetari possint, sicuti gaudent liberalitate eorum, qui aeterna esse voluerunt e testamento beneficia sua. Quorum ex numero est

CAROLVS GVILIEMVS GOTTLOB WILS

res humanitatis, humano indulgeant errori. Et ne quis, quae omissa deprehendantur, inique iudicet ignorata, quod accidere solet iniuriosis in alios, — ut taceam leviora, et quae forte, nobis invitis, in ultimas irrepserint paginas, — nolui dissimulare haec: pag. 1. lin. 7. del. post *alios* comma; p. 7. lin. extr. l. *gestarum*; p. 2. l. 27. leg. *Optanti mihi* p. 6. l. 17. del. 2. post. *et;* p. 9. lin. penult. post verba: *ac referente.* Add. Vides hoc monumentum *in Constantini M. arcu* apud Bellorium *Veter. Arc. Augustor.* 30. *Sedet Traianus in suggestu, infra mares et feminae cum pueris.* — p. 12. l. 21. post *adjecta* add. *Hoc quidem* Gruter. *observavit, sed, uti videtur, errore lapsus. Leguntur enim numeri eodem modo circumducti in Tabula illa Traiani Col.* 2. 3. *et* 6. decies centena millia *significantes.* p. 15. l. 16. claud. parenth. post 157. et lin. antepenult. leg. FAVSTINIANAE. p. 16. l. 15. Beger *Thes. e Thes. palat. select. p.* 310. *et* 312. — *p.* 17. *l.* 7. *leg. incaricata p.* 18. *l.* 26. post verba: *sub fin.* add. cf. *Mus. Capit. Tom. IV. Part.* 1. *tab.* 12. *et pag.* 47. Bellorii *Vet. Arc. Aug.* 48. 49. et 50. — *p.* 19. *l.* 22. *leg. congiarium.* — *p.* 20. *l.* 30. *leg. giungesse.* — *p.* 24. *l.* 31. *post.* 22. *add.* Bellor. 22.

inclutae hujus civitatis Senator nuper Spectabilis, Amplissimus, Gravissimus, superiori anno rebus humanis ereptus. Cujus magnum ac splendidum beneficium silentio involvere nefas esset. Is enim, quo fuerat animo liberali ac benevolo, grandem pecuniam, mille scilicet imperiales, legavit Scholae nostrae, ut libris de lucro comparatis, discipuli probi ac diligentes quotannis donarentur. Hujus igitur Viri Optimi ac Liberalissimi memoriam pie instauraturus, gratamque mentem declaraturus Omnibus, quos vel in vivis adhuc veneramur Patronos atque Fautores, vel defunctos vero lugemus desiderio, et quorum beneficia versantur in animo cum grata recordatione, Orationem proprio Marte elaboratam vernacula lingua recitabit

Georgius Carolus Liebel, Adorf. Alumn. Praef.

Von den Verpflichtungen, welche der studirende Jüngling stillschweigend eingeht, wenn er von fremden Wohlthaten Gebrauch machen muss.

Qua finita prodibunt, qui disciplina nostra adhuc usi sunt, iuvenes octo alii, oratiunculis et vernacula et romana lingua habendis, Fautoribus atque Patronis studia sua probaturi. Nomina eorum sunt:

Gottl. Frid. Guil. Nicolai, Dresd. Curr. Praef.
Guil. Frid. Traug. Fraenzel, Maxen. Extr.
Car. Panzer, Dresd. Extr.
Frid. Eduard. Helwing, Dresd. Extr.
Gottfr. Guil. Brückmann, Dresd. Extr.
Car. Gottfr. Ziller, Cadiz. Extr.
Car. Frid. Doering, Pilln. Extr.
Philipp. Aug. Reichenbach, Dresd. Curr. Praef.


Quae solemnia scholastica, die XIV. April. a. c. hora III. pomeridiana ex more instituenda, ut frequenti, splendida ac honorifica praesentia sua velint condecorare Ephorus Scholae nostrae Magnificus ac Summe Venerabilis, Proceres hujus Civitatis Gravissimi, Amplissimi, Patroni Scholae nostrae pie colendi, ceterique iuventutis et rei scholasticae Fautores Munifici et Liberales, praesidium ac dulce decus nostrum, etiam atque etiam oro, humanissimeque rogo. Dresdae, die V. April. MDCCCVIIII.



Villa Alban. PVELLAE FAVSTINIANAE *e Zoega.* *Alt. p. 1. d. 1.* *Long. p. 3. d. 10.*











QVAESTIO ANTIQVARIA

DE

PVERIS ET PVELLIS ALIMENTARIIS.

SPECIMEN SECVNDVM

EDIDIT

CHRISTIANVS HENRICVS PAVFLER

CVM FIGVRIS AERE INCISIS.

DRESDAE. MDCCCX

SVMTIBVS F. G. WALTHERI BIBLIOPOLAE REGII.

Quod viris nonnullis, in re antiquaria versatissimis, probabilis visus sim auctor in enarranda liberalitate Principum Romanorum, liberat id quidem animum ab eo timore, qui cuique de se laboribusque suis haud elate sentienti solet quasi inhaerere ejusque ingenium coërcere; modestiam autem, antiquiorem et magis a natura ipsa profectam, non potuit minuere, sed augere potius, cum in hac re liberaliter et recte pertractanda, ab antiquitate penitus fere derelictum me videam. [1]) Exemplis enim docenda ac firmis comprobanda argumentis probabili tantum coniectura a me absolui possunt.

Vides, ut lepide dicta maxime rideant, et quanta sit narrationis facetae commendatio, siue habeas vere, quod narrare possis, modo id commentis ac fabellis adspergas;

1.) cf. Beckmann *Beyträge zur Geschichte der Erfindungen P. 5. pag.* 404. Von der Verwaltung dieser Stiftungen ist nichts bekannt; nur weiſs man, daſs in ieder der Landschaften, worin Italien getheilt war, ein angesehner Staatsbediente den Tittel *Procurator ad Alimenta* führte, welchem wahrscheinlich die Besorgung aufgetragen war.

siue fingas. Quae ratio, magnifice collaudata ab urbanitatis et elegantiae praeceptoribus, a me plane debet esse aliena, etiamsi possit placere lectoribus oblectationem magis quam veritatem desiderantibus, quod, quae antiquitas vere habuerit, non quae temere huic adfingere valeat hominis ingenium, mihi erunt dicenda.

Ne quis igitur legendo offendatur, aut dubius haereat, impeditus auctoritate doctorum hominum, qui saepenumero temere iecerunt, quae, cum acute et ingeniose dicta sint, aliis videntur vera,[2]) omnia ad rem nostram facientia, e veterum libris putaui excutienda. Lectorum quidem haud magnopere interesse videtur scire, quae ego interposui de Congiariis, Sportulis, et hujus generis aliis rebus: ea tamen omittere nolui, ut praeluceant non solum hac de re liberaliter iudicantibus, cum satis indicent, quam mihi ad indagandum verum aperui, viam; sed iis quoque inseruiant, qui diligentius velint rimari hunc morem antiquum. Qui, si quid forte minus probatum, si quid a re plane alienum, si quid denique falsum arbitrabuntur; arbitrabuntur autem multa, si, quae posita sunt in conjectura, habere voluerint pro certis ac defi-

2) Quod de se ingenue professus est Burmannus ad *Phaedr. Fab. Lib.* 2. *Praef. v.* 1. quid sit *genus Aesopi* explicaturus: *Quia*, inquiens, *nondum melius mihi in mentem venit* etc.

nitis: libenter veniam tribuent et rebus ipsis et rationibus meis. Probe enim intellexi, quantum animus distentus curis instituendae ac regendae iuuentutis retardetur a diligentiori reconditae antiquitatis inuestigatione, vt antea tota res interdum explicanda sit, quam ejus vlla insideat in mente vel informata cogitatio. Neque hoc me praeterit, magnum quoddam esse, ac multo etiam majus hominum opinione, multiplices antiquitatum vias ac rationes cogitatione complecti, et hujus doctrinae laudem cum optimo dicendi genere conjungere. Qua in re, si forte non satisfecerim iis, quibus vel elegantioris doctrinae vbertas, vel monumentorum antiquorum suppetunt copiae, rogo atque oro, velint benigne in me animadvertere, ne mihi enarraturo antiquum liberalitatis morem [3]) desit humanitas eorum, quos liberalioris doctrinae facile iudico principes, maximeque admiror antiquarum literarum custodes.

II.

Iam disserendo prosecuturus causam Alimentariorum, ex instituto ad id caput peruenio, quod exponit de mo-

3) Paucis hanc rem absolvit Pelletier in Epistola: *sur les Largesses des Romains*, quae legitur in *Mercure de France*, *Juliet* 1737. pag. 1474. et, suppresso auctoris nomine, ad verbum exscripta, in *Varietés historiques*, *physiques et littéraires*, *Tom.* 2. *Part.* I. *pag.* 81 *sqq.*

do, quo forte vsi sint Imperatores et alii in conferendo illo beneficio, eoque conseruando et administrando. Quo in genere liberalitatis, vt in omnibus fere rebus ad ciuitatem pertinentibus, seruarunt Romanorum Principes consuetudinem antiquitus receptam;[4]) et licet nouae res animos mortalium semper adtrahant, alieni a temeraria omnia nouandi libidine, nihil e patrio more labare sustinuerunt, nec aliquid noui excogitarunt, nisi quod additum videtur vrgente quadam necessitate. Ciuitas enim vix nata, magnas inter opes, magna laborabat penuria;[5]) et quam romani, constantia et virtute florentes, coluerant olim honestam paupertatem,[6]) via luxuriae mox inuenta, ad omnia vitia pronam et plane abjectam videmus.[7]) Cui malo vt salutarem facerent medicinam, boni quidem ciues nec labori nec periculo pepercerunt; sed obtegendo magis, quam tollendo,

4) cf. Bosse *Grundzüge des Finanzwesens im röm. Staat. Tom. 2. pag.* 50. sqq. et Lips. *de Magnit. rom. Lib. II. Cap.* 10. *Nam iam ante institutum Principes tenuerunt, ut plebem egenam aut tenuem perpetua frumentatione pascerent. cf.* Tacit. *Ann. I.* 2.

5) cf. Bosse *l. l. Tom. I. pag.* 23 *et* 124 *sq.* — Meierotto *Vber Sitten und Lebensart der Roemer. Part.* 2. *pag.* 27.

6) *Nulla unquam respublica — ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit etc.* Liv. Praef.

7) *Labante deinde paulatim disciplina* etc. Liv. *l. l.* cf. Sallust. *Catil. Cap.* 10—12. — Meierotto *l. l. Part.* 2. *pag.* 83 *sqq.*

liberaliter indulserunt effrenatae cupiditati, cujus violentia, vt poëtae [8]) vtar verbis, haudquaquam beneficiis

flectitur; exsuperat magis, aegrescitque medendo.

Virtute igitur sublata, cum haud pauci nobiles in omne nefas se pararent, ne vel egerent plane, quod desiderabant, vel penitus carerent rebus frustra dissipatis, transtulerunt improba licentiae exempla in mores et ingenia plebis, tristissimamque seruitutem corruptae ciuitati conciliarunt.

Imperium itaque fortitudine, temperantia et concordia partum, dilapsum vero discordia, luxu atque inertia, [9]) cum a multorum virtute ad vnius deuolutum esset voluntatem, [10]) ne, qui teneret, id amitteret, [11]) voluit potius

8) Virgil. *Aen. XII. 46.*

9) cf. Bosse *l. l. Tom. I. pag. 124. sqq.*

10) *Postquam bellatum apud Actium atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit;* etc. Tacit. Hist. I. 1.

11) cf. Herodian. *Lib. VII. Cap. 4. 2.* — Plin. *Paneg. Cap.* 28. *Quod antea Principes ad odium sui leniendum tumentibus plebis animis objectabant, id tu tam innocens populo dedisti, quam populus accepit.* cf. Boecler. *Dissertt. Acad. Tom. poster. pag.* 527. *Largitiones annonariae ab initio eo pertinent, ut dulcedine otii, cujus haec non minima pars erat, sine amore imperii singularis Caesarei ac novi status animi hominum imbuerentur. Postea aemulatione Principum circa artes et laudes popularitatis, studioque munificentiae et magnificentiae, et consuetudo frumentandi, et annonae varietas et canonis modus continuari atque augeri coepit.* Lips. *de Magn. Rom. Lib. II. Cap. 13. Homines ut ad imperium veniant, imperium pene ipsum donant. Quid? donant? perdunt volui dicere etc.*

frena laxare, quam adducere; et cum extinguere non posset stirpem ac semen omnis mali, citato saltem impetu imminentem euitare ruinam. Eorum igitur, qui sine dote sua se inuoluere solent virtute, probam timentes paupertatem, exterritique clamore seditiosae plebis, praeter panem et Circenses [12]) nihil optantis, redemerunt sibi Imperatores non modo militum, sed ciuium quoque voluntates largitionibus vsu et more sancitis: quibus cum teneram quoque iuuarent aetatem, [13]) singulorum animos ac studia a primis statim annis benefaciendo sibi deuinxerunt. Itaque sibimet ipsis cupiebant, dum aliis cupere videbantur.

Hoc enim vultu haud raro venit liberalitas. Solet nempe ambitio, nitens splendido bonitatis nomine, mise-

12) Juvenal. *Sat. X.* 80. Tacit. *Annal. Lib. XV. Cap.* 36. *fin.* et ej. *Histor. Lib. I. Cap.* 4. *Plebs sordida et Circo ac Theatris sueta.* cf. Herodian. *Lib. VII. Cap.* 7, 2. et *Cap.* 8, 13.

13) Puerorum in rebus distribuendis iam antiquitus habitam fuisse rationem, constat e Liv. *Lib. V. Cap.* 30, qui: *adeo*, inquit, *ea victoria laeta Patribus fuit, ut postero die, referentibus Consulibus, Senatus Consultum fieret, ut agri Vejentani septena iugera plebi dividerentur; nec patribus familiae tantum, sed et omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur, vellentque in eam spem liberos tollere.* Ejusdem generis esse videtur *annona* illa *trigeminorum*, profecta a trigeminis, qui rem Romanam contra Albanos Curiatios defenderant. Qua de re Dionys. Halic. *Lib. III. pag.* 160. 10. *ed. Sylburg.* ἔστι δὲ καὶ νόμος παρ' αὐτοῖς δι' ἐκεῖνο κυρωθεὶς τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶνται, τιμὴν καὶ δόξαν ἀθάνατον τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις περιτιθείς, ὁ κελεύων οἷς ἂν γίνωνται τρίδυμοι παῖδες, ἐκ τοῦ δημοσίου τὰς τροφὰς τῶν παίδων χορηγεῖσθαι μέχρις ἥβης.

riarum ramos blanda amputare manu, auxilioque esse in primis iis, qui tempestatum vi concursuque calamitatum labefactati in lacrymis ac sordibus iacent. Omni enim aetate fuerunt, qui vitae suae splendorem in hominum quaererent miseria. Boni quidem viri est, et amicis benefacere et indigentibus; nisi autem liberalitas nostra ac beneficentia nitatur pietate ac probitate, sed oriatur cupiditate et intemperantia, quis est, qui velit eam praedicare virtutem? Quo in opinionis errore videntur mihi versari omnes, qui id ipsum, prodesse quid sit, ignorant; qui nihil putant utile, nihil commodum, nisi quod manu teneri potest; qui statim laudabile iudicant et probum, quodcunque in suam rem esse cognouerint. [14]) Praeclaram quidem arbitramur consuetudinem eorum, qui ciues fame fatigatos solent reficere pane, pecuniaque leuare inopiam pauperum: quae vero solis procerum largitionibus florent ciuitates, si certo sensu ac vero, non e libidine, rem iudicare velimus, haud praedicandae videntur felices, sed quarum ciues omnes ac singuli habent tantum, quantum cuique probo satis est, ad vitam bene beateque transigendam. [15])

14) cf. Lactant. *Instit. Lib. VI. Cap.* 6, 13. De liberalitate et largitionibus praeclare disseruit Cic. *de Offic. Lib. II Cap.* 15. *sqq.*

15) cf. Beckmann *l. l. Tom. V. pag.* 358 *sqq.* — Vt taceam seriorum temporum Principes, hoc dictum laudabili suo comprobantes exemplo, notum est

Hujus rei veritas, depressa multorum improbitate et auaritia, si potuisset emergere magno isto in populo, ciuitas Romana largitionibus nec fidem Ciuium, nec Senatus auctoritatem, nec salutem Populi, nec omnem perdi-

illud *Henrici IV.* Magni Regis Galliae: *si Dieu me donne encore de la vie, je ferois, qu'il n'y aura point de laboureur en mon Royaume, qu'il n'ait moyen d'avoir une poule dans son pot. cf. Histoire du Roy Henry le Grand, composée par* Hardouin de Perefixe. *Amst.* 1678. *pag.* 555. De *Constantino Magno* idem sentiente, cf. Euseb. *in Vita Const. M. Lib. I. Cap.* 14. cujus tamen tempora ob luxuriam avaritiamque male notata leguntur apud Pancirol. *de Magistr. Municip. pag.* 26. et *de rebus bellicis pag.* 33. ad calcem *Notit. Dignitatt. omn. Imper. Rom. ex recens. Phil. Labbe. Venet.* 1729. in *Collect. Scriptt. histor. Byzant.* „Constantini temporibus profusa largitio „*aurum* pro *aere*, quod ante magni pretii habebatur, vilibus commerciis as„signavit: sed hujus avaritiae origo hinc creditur emanasse. Cum enim an„tiquitas aurum argentumque et lapidum pretiosorum magna vis in templis „reposita ad publicum pervenisset, cunctorum dandi habendique cupidita„tes accendit. Et cum aeris ipsius, quod regum, ut diximus, fuerat vultu „signatum, enormis iam et gravis erogatio videtur, nihilo minus tamen a „coecitate quadam, ex auro, quod pretiosius habetur, profusior erogandi „diligentia fuit. Ex hac auri copia priuatae potentium repletae do„mus, in pernitiem pauperum clariores effectae, tenuioribus vi„delicet violentia oppressis: sed afflicta paupertas, in varios scelerum conatus „accensa, nullam reverentiam iuris aut pietatis affectum prae oculis habens, „vindictam suam malis artibus commodavit. etc." — Vera tamen sunt Boecler. *l. l. pag.* 534 *sq. Optimum hic quoque est philosophi, ut in plerisque aliis, consilium: praeseruare potius ciuitatem, ne remediis opus habeat, quam laboranti remedia conquirere* etc. cf. *pag.* 513. Tacit. *Hist. Lib. IV. Cap.* 38. et *Annal. Lib. XV.* 36. *Saturo enim populo*, quod de Romano populo scribit Aurelianus Flavio Arabiano, Praefecto annonae, apud Vopisc. *Cap.* 47. *nihil est laetius*; famelico autem nihil tristius et ad scelera procliviua. Nescit enim plebs ieiuna timere, et venter iratus quiescere non potest.

disset Rempublicam. [16]) Quam traditam vt sibi conseruarent Caesares, cum ab opinionum ac morum corruptela populum sanare non possent, [17]) antiquam consuetudinem secuti, cauerunt saltem, ne populus, sensu suo peruerso abundans, in pejus rueret, nec major existeret calamitas. Quod si quis omnibus vertere velit vitio, nonnullos enim Imperatores, istam rationem pessime sequentes, [18]) crimine haud absoluimus, vereor, ne nimio probitatis studio, judicium ferat iniquum.

16) Hoc jam viderunt Romanorum optimi, Varro *Lib. I. Cap.* 2., Columella *Praef.*, Plinius *H. N. Lib. XVIII. Cap.* 3. alii. Videntur enim existimasse, agricolationem negligi et abiici ob luxuriam, quae mores illos priscos afflixerit, siquidem plebs rustica ab agrorum cultu auocata ad ambitus et largitionum emolumenta transierit. cf. Lips. *Elect. Lib. II. Cap.* 15. Quare etiam Augustus, teste Suetonio *Aug. Cap.* 40. ne plebs, frumentationum causa, frequentius a negotiis auocaretur, ter in annum, quaternûm mensium tesseras dare destinauit; sed desideranti consuetudinem veterem rursus concessit. Idem Suetonius *Cap.* 42. testatur, Augustum cepisse impetum, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseuerasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui.

17) cf. Herodian, *Lib. II. Cap.* 3, 20. ubi Pertinax in oratione ad Senatum in curia habita: οὐδ' ἤτις inquit, εἰς τὸ κοινὸν χρεία γίνοιτο μεταβολὴ, αὐτός τέ τι πλέον νομίζει κερδῆσθαι κ. τ. λ.

18) cf. Herodian. *Lib. IV. Cap.* 5, 1. et *Cap.* 7, 7. — Mirum hoc in Hadriano, quem Marius Maximus dixit natura crudelem fuisse et idcirco multa pie fecisse, quod timuerit, ne sibi idem, quod Domitiano accidit, eueniret. cf. Spartian. *Hadr. Cap.* 20. Vopiscus *Aurel. Cap.* 42. ait: Paucos fuisse principes bonos, vt bene dictum sit a quodam mimico scurra Claudii: in vno annulo bonos principes posse perscribi atque depingi. At contra, quam

Solemnes erant Largitiones apud Romanos. Hoc autem nomine comprehendimus non tantum Munera, in gratiam populi edita, sed etiam Frumentationes,[19]) Congiaria,[20]) Viscerationes,[21]) Sportulas,[22])

seriem malorum? etc. cf. *Cap.* 47. et Boecler. *l. l. pag.* 529. *sq.* Quis, contra, non probet sententiam Valeriani, quae legitur in Epistola ejus ad Aurelianum, Vopisc. *Aurel. Cap.* 11. cf. *Cap.* 46. *Levanda est paupertas eorum hominum, qui diu reipublicae viventes, pauperes sunt, et nullorum magis?*

19) Frumentatio quidem in bello est militum egressio ad frumentum in castra congerendum. cf. Caes. *Bell. Gall. Lib. VII. Cap.* 64. Sed dicitur quoque largitio frumenti populo facta. cf. Boecler. l. l. pag. 527. et 529. E Pauli autem sententia frumentum dicitur, quidquid in arista se continet. cf. Plin. *H. N. Lib. XVIII. Cap.* 7. et al. Differt igitur frumentum ab annona, quod nomen complectitur omnia edulia, omnes res ad victum pertinentes. cf. Brisson. *de Verbor. signif. sub voce* annona.

20) Congiarium auctore Quinctiliano *Instit. Lib. VI. Cap.* 3. 4. commune liberalitatis et mensurae nomen, dictum potissimum de eo, quod in romana republica antiquitus in populum distribuebatur. Narrat enim Plinius *H. N. Lib. XXXI. Cap.* 7. Ancum Marcium regem salis modios sex mille in congiario dedisse populo. Insunt in hoc loco antiquissima illius moris vestigia. cf. Alexander ab Alexandr. *Lib. V. Cap.* 24. Livius *Lib. XXXVII.* 57. dicit, M. Acilium Glabrionem, qui Antiochum ad Thermopylas, Aetolosque devicerat, populo inprimis fuisse carum, quod multa congiaria habuerit, (si vera est lectio antiqui Codicis; alii enim malunt consilia, vel concilia exhibuerat,) quibus magnam partem hominum obligasset. Gruchius *de Comit.* 1. 3. *fin.* refert ad congiaria ab Acilio populo data. cf. Liv. *Lib. XXXVII. Cap.* 46. „Non suppetunt, ad„dit Drakenborch. ad l. l. exempla hujus moris, nisi ex posterio„ribus temporibus apud Plin. *H. N. Lib. XIV. Cap.* 15. et alios. „Congiariorum inter populum divisionem hac aetate non„dum valde frequentem fuisse credo." Miror Drakenborch. non annotasse exemplum Anci Marci, cum enarret Scipionis Africani et Ce-

omnes ad captandam auram popularem callide excogitatas, et quae militibus dabantur Donativa. [21]) De illis

thesi, cf. Liv. *Lib. XXV. Cap.* 2. (qui Aediles congios olei in vicos singulos dederunt,) eoque referat viscerationes et epulas in funeribus et ludis funebribus datas. cf. Liv. *Lib. VIII. Cap.* 22. *XXXIX.* 46. et *XLI.* 28. Idem ille Cethegus Consul cum Q. Flaminino, comitiis peractis, populo dedit, teste Plinio *H. N. XIX.* 8. mustum rutatum. — Consistebat autem Congiarium vel rebus liquidis, e. c. oleo, vino, vel solidis, pane, sale, al. Translatum deinde hoc vocabulum est ad distributiones pecuniae populo factas. cf. Sueton. *Aug. Cap.* 4. et al. — Differt autem Congiarium a Donatiuo militibus dato, cf. Sueton. *Ner. Cap.* 7. Plin. *Paneg. Cap.* 25. *sqq.* sed non perpetuo, cf. Cic. *ad Attic. Lib. XVI. Cap.* 8. (ad quem tamen locum, vt ad locum Capitol. cf. Fabrett. *ad Columu. Traj. pag.* 42. qui, vt excuset latinae eloquentiae parentem, iure, inquit, ibi congiarium vocat Cicero, quod non vti ab Imperatore militibus, sed tanquam a seditioso ciue Quiritibus, vt eos ad sua signa sequenda alliceret Antonius, oblatum fuerat: potuitque vere congiarium in frugibus et comestibilibus offerri ab homine, vt ibi subditur, pecuniae egentissimo.) Spartian. *Hadr. Cap.* 23. Capitol. *Anton. P. Cap.* 4. Sensu plane singulari dicitur Congiarium a Coelio in Epistola ad Ciceronem, Cic. *ad famil. Lib. VIII. Ep. I.* et Quinct. *l. l.* E loco Sueton. *de clar. rhet. Cap.* 5. conjici posse videtur, Romanos mercedem, rhetori seu eloquentiae professori datam, dixisse congiarium. Artifices quoque congiario donatos et magna mercede docet Sueton. *Vespas. Cap.* 18. — Dabatur autem populo congiarium potissimum in vrbe ex liberalitate Augustorum, per occasiones, e. c. ob insignem aliquam victoriam etc. Sic Caesar omnibus circa se, atque etiam parte magna Senatus, gratuito, aut leui foenore obstrictis, ex reliquo quoque ordinum genere vel inuitatos, vel sponte ad se commeantes uberrimo congiario prosequebatur, libertos insuper seruulosque, prout domino patronoue gratus quis esset. cf. Sueton. *Caes. Cap.* 27. Idem Pontico triumpho praeter congiaria frumentum populo dedit extra ordinem. cf. Sueton. *Caes. Cap.* 38. — Augustus liberalitatem omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit, et congiaria po-

muneribus ac ludis, quibus, teste Lactantio, [24]) Romani impendebant opes magnis urbibus suffecturas, non est,

pulo frequenter dedit, cf. Sueton. *Aug. Cap.* 41. Sed idem populo promissum flagitanti turpitudinem et impudentiam edicto exprobrauit; nec minori grauitate atque constantia, cum proposito congiario multos manumissos, insertosque ciuium numero, comperisset, negauit accepturos, quibus promissum non esset. cf. Sueton. *Aug. Cap.* 42. — Tiberius e Germania in urbem reuersus et triumphum agens, congiarium trecenos nummos viritim dedit, cf. Sueton. *Tib. Cap.* 20. — Nero, Germanici frater, quo primum die (tirocinii) forum ingressus est, congiarium plebi admodum laetae dedit. cf. Tacit. *Annal. Lib. III. Cap.* 29. et Valer. Patercul. *Lib. II. Cap.* 129, 2. — Caligula congiarium populo bis dedit trecenos H. S. cf. Sueton. *Cal. Cap.* 17. — Claudius deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donatiuum proposuit. cf. Sueton. *Claud. Cap.* 7. — Nero (cf. Sueton. *Ner. Cap.* 10.) Consul vicesimo aetatis anno designatus ac princeps juuentutis appellatus est; additum nomine ejus donatiuum militi, congiarium plebi. cf. Tacit. *Ann. Lib. XII. Cap.* 41. Nerone secundum et Pisone Consulibus plebi congiarium quadringeni nummi datum. cf. Tacit. *Annal. Lib. XIII. Cap.* 31. (De Agrippina congiarium dissuadente cf. Tacit. *Ann. Lib. XIV. Cap.* 11.) — Domitianus congiarium populo numorum trecenorum ter dedit. cf. Sueton. *Domit. Cap.* 4. — Trajani congiaria laudat Plin. *Paneg. Cap.* 25. *sqq.* — Hadrianus ad comprimendam de se famam congiarium duplex praesens populo dedit, ternis jam per singulos aureis se absente diuisis. cf. Spart. *Hadr. Cap.* 7. Idem ob adoptionem Aelii Veri ludos Circenses dedit et donatiuum populo ac militibus expendit. *ib. Cap.* 23. Quem (Verum) cum minus sanum videret, saepissime dictauit: in caducum parietem nos inclinauimus et perdidimus quater millies H. S. quod populo et militibus pro adoptione Commodi dedimus. *ib. Cap.* 24. cf. Spart. *Ael. Ver. Cap.* 3. et 6. — Antoninus Pius Congiarium militibus et populo de proprio dedit. cf. *Capitol. Ant. P. Cap.* 4. et *Cap.* 8. Congiarium populo dedit, militibus donatiuum addidit. Et cum idem Antoninus Faustinam filiam M. Antonino conjungeret, nuptias ei fecit celeberrimas usque ad donatiuum militum. cf. Spart. *An-*

quod hic quaeramus: congiaria autem, et largitiones frumentarias, [25]) Romae jam antiquis temporibus usitatas,

ton. P. Cap. 10. fuitque liberalis ea occasione, qua patris templum dedicabat. cf. Capitol. Ver. Cap. 3. — M. Aurelius Antoninus Philosophus, toga virili filio data, congiarium populo divisit. cf. Capitol. Anton. Phil. Cap. 22. Commodum deinde sibi junxit collegam in tribunitiam potestatem et congiarium populo dedit et spectacula mirifica. cf. Capitol. Ant. Phil. Cap. 27. nuptiisque filio celebratis, exemplo priuatorum, congiarium populo dedit. cf. Capitol. Ant. Phil. C. 27. Commodus adhuc in praetexta puerili congiarium dedit. cf. Lamprid. Commod. Cap. 2. et Cap. 16. congiarium dedit populo singulis denarios septingenos vicenos quinos. — Heluidius Pertinax promisit militibus donatiuum. cf. Capit. Pertin. C. 4. soluitque donatiua et congiaria, quae Commodus promiserat. cf. Capit. Pert. Cap. 7. Vendidit porro scurras et hujus nundinationis pecuniam, quae ingens fuit, militibus donatiuo dedit. cf. Cap. 7. fin. et Cap. 15. dedit congiarium populo denarios centenos. Praetorianis promisit duodena millia numûm, sed dedit sena. — Severus profectus est ad bellum Particum, edito gladiatorio munere et congiario populo dato. cf. Spart. Sever. Cap. 14. Ob Bassianum et Getam donatiuum militibus largissimum dedit. Spart. Sev. Cap. 16. Tripolim, unde oriundus erat, securissimam reddidit; et oleum gratuitum et foecundissimum agrum donauit, Cap. 18. In epistola ad Senatum missa: ego, inquit, frumenta reipublicae detuli, ego populo romano tantum olei detuli, quantum rerum natura vix habuit. cf. Capitol. Claud. Alb. Cap. 12. et Lamprid. Alexand. Sever. Cap. 22. Herodian. II. 14, 10. III. 8, 7. et 15. III. 10, 8. — Caracalla circa Rhetiam non paucis barbaris interemtis milites suos quasi Sullae milites et adhortatus est et donauit. cf. Spart. Carac. Cap. 5. et Lamprid. Opil. Macrin. Cap. 5. Antoninus Caracalla multum a plebe dilectus est, ob vestimenta populo et congiaria data. — Macrinus dedit militibus pro imperio aureos ternos, nomine filii aureos quinos, promisitque per cuncta quinquennia idem se daturum. cf. Lamprid. Anton. Diadum. Cap. 2. Congiarium etiam praedictum Antoninianum promisit. — Heliogabalus cum Consulatum iniisset, (ita e conjectura Salmasii legendum censeo,) in populum non numos vel argenteos vel aureos, vel bellaria vel minuta anima-

facile judicamus ceterarum largitionum primordia atque exempla. [26])

lia, sed boues opimos et camelos et asinos et seruos populo diripiendos objecit, imperatorium id esse dictitans. cf. Lampr. *Heliog. Cap.* 8. cf. *Cap.* 21. et 22. Et *Cap.* 26, meretricibus pronunciauit quasi militibus ternos aureos donatiuum. — Alexander Severus, oleum, quod Severus populo dederat, quodque Heliogabalus imminuerat, turpissimis hominibus praefecturam annonae tribuendo, in integrum restituit. cf. Lamprid. *Alexand. Sever. Cap.* 22. Congiarium populo ter dedit, donatiuum militibus ter; carnem populo addidit. cf. Lampr. *Al. Sev. Cap.* 26. 32, 33. et 40. Victo Artaxerxe rege Persarum Quiritibus congiaria pollicitus est. cf. Lampr. *Alex. Sever. Cap.* 57. — Gordianus ingens militibus stipendium, populo agros atque congiaria promisit. cf. Capitol. *Gordian. Cap* 10. — Maximinus Thrax per Capelianum donaria militibus divisit, interfectis Gordianis. cf. Capitol. *Maxim. Cap.* 19. — Gallienus congiariis populum molliuit. Senatui sportulam sedens erogauit. cf. Trebel. Poll. *Gallien. Cap.* 16. Occiso Gallieno consilium principum fuit, vt milites ejus, quo solent placari genere sedarentur. Promissis itaque per Martianum aureis vicenis et acceptis — Claudius accepit imperium. cf. Pollion. *Gall. Cap.* 15. — Aurelianus ter dedit congiaria, donauit etiam populo romano tunicas albas manicatas etc. cf. Vopisc. *Aurelian. Cap.* 48. Eo tempore, quo proficiscebatur ad Orientem, bilibres coronas populo promisit, si victor rediret: et cum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, fecit coronas de panibus, qui nunc siliginei vocantur, et singulis quibusque donauit, ita, ut siligineum suum quotidie toto aeno suo, et unusquisque reciperet et posteris suis dimitteret. Idem porcinam carnem populo Romano distribuit. cf. Vopisc. *Aurel. Cap.* 35. Statuerat et vinum gratuitum populo Rom. dare: vt, quemadmodum oleum et panis et porcina gratuita praeberetur, sic etiam vinum daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat. Sed multi dicunt, Aurelianum ne id faceret, praeuentum, alii a Praefecto Praetorii sui prohibitum, qui dixisse fertur, si et vinum populo Rom, damus, super est, vt et pullos et anseres demus. cf. Vopisc. *Aurel. Cap.* 47. et 48. Et in epistola ad populum Rom. Ego, inquit, efficiam, ne sit aliqua sollicitudo Romana. Vacate lu-

Imperatores igitur, pueris atque puellis beneficia largientes, ab vsitata consuetudine non recesserunt, sed in-

dis, vacate Circensibus. Nos publicae necessitates teneant, vos occupent voluptates. cf. Vopisc. *Firm. Cap.* 5. — Tacitus stipendium et donatiuum ex more promisit. cf. Vopisc. *Tac. Cap.* 9. sed congiarium intra sex menses populo romano vix dedit. cf. Vopisc. *Florian. Cap.* 3. — Probus dedit Romanis voluptates, delatis etiam congiariis. cf. Vopisc. *Prob. Cap.* 19. — Diocletianus parcissime vsus est liberalitate. Et cum quidam largitionalis (curatorem fisci puta) suus laudaret ei editionem Cari, dicens, multum placuisse principes illos ludorum theatralium atque Circensium causa: ergo, inquit, bene risus est imperio suo Carus. cf. Vopisc. *Carin. Cap.* 20 — Alexand. ab Alexand. *genial. dier. Lib. V. Cap.* 24. Peculiarem quidem dissertationem de Congiario edidit I. H. Boecler. Witeb. 1712. cujus tamen vsus, cum non legatur in Collect. Dissertt. illius, mihi non fuit concessus. Quare paulo diligentius fortasse haec collegi, non e Vopisci sententia, (*Florian. Cap.* 2. *et* 3.) ne quis me legens legisse non credat, sed vt mihi aliisque, breuem hujus rei adumbrationem desiderantibus, non deessem. cf. Boecler. *Diss. Acad. Tom. poster. de annona sub Imperatt. Rom. pag.* 528. Rasche *Lexicon universae rei numariae Tom. I. Part. poster. pag.* 733. *et* 784. — 790. *et Supplementor. Tom. I. pag.* 1931. — 1933.

21) Visceratio proprie carnis crudae distributio, vel epulum dicebatur, quod fiebat e visceribus sive carnibus imolatis, quae distribuebantur inter eos, qui solemni alicui sacrificio adessent, praecipue in Latinis Feriis, vel in funere alicujus excellentis Viri. Nam olim, quoties victimam mactabant, vel conuiuium celebrare moris erat, vel e victima partem ad amicos mittere. Consuetudinem istam grauiter perstringit Cicero *de Offic. Lib. II. Cap.* 16 cf. Liv. *Lib. VIII. C.* 22. *Lib. XXXIX. Cap.* 46 et *Lib. XLI. Cap.* 28. vid. Kirchmann. *de funer. Lib. IV. Cap.* 5. Guther. *de jure man. Lib. II. Cap.* 10. et Bulenger *Imper. II.* 33.

22) Sportula proprie parua sporta. cf. Plaut. *Men. I.* 4, 1. *Curcul. II.* 3, 10. quia vero sportae tum opsoniis, tum numis reponendis aptae erant, factum est, vt sportulae nomine primum ciborum portio, coenae quae satis es-

fantes ciuium Romanorum admiserunt vel ad frumentatio-

set, significaretur; eaque loco coenae rectae, quae a ditioribus olim solebat praeberi clientibus, salutatoribus, sectatoribus. cf. Sueton. *Ner. Cap.* 16. Quas sportulas Domitianus iterum reduxit ad coenas. cf. Alexand. ab Alex. *V.* 24. (et *ad h. l. Coler.*) quo teste, Cato junior nouo more sportulas tribuit. Cum Claudius munus populo editurus esset, extraordinarium et breue dierumque paucorum; edixissetque, velut ad subitam condictam coenulam inuitare se populum: id munus a similitudine sportulam appellauit. cf. Sueton. *Claud. Cap.* 21. Quare etiam factum esse videtur, vt quaeuis largitio et munusculum diceretur sportula. cf. Plin. *Epist. Lib. II. Ep.* 14. et *Lib. X. Ep.* 118.

23) De donatiuo cf. Casaub. ad Capitol. *M. Anton. Phil. Cap.* 7. et ej. *Pertin. Cap.* 4. De stipendio et salario, et quomodo inter se differant, cf. Salmasius ad Capitol. *Clod. Albin. Cap.* 10. Casaubonus ad Capitol. *Max. et Balb. Cap.* 12. monet stipendium dictum pro donatiuo.

24) cf. Lactant. *Institut. Lib. VI. Cap.* 11, 22. — Lips. *de magnitud. Rom. Lib. II. Cap.* 11.

25) Largitiones frumentariae primum liberae fuisse videntur, frequentatae inposterum et Aedilibus commissae, sancitae denique legibus. Primum exemplum largitionis frumentariae sumtu publico factae refert Livius *Lib. II. Cap.* 9. Nam per id tempus, quo Porsenna bellum inferebat populo romano, a. u. 246. a Ch. n. 506. multa blandimenta plebi a Senatu data, annonae inprimis habita cura et ad frumentum comparandum missi, salis quoque vendendi arbitrium, in publicum omne sumtum, ademtum priuatis. Alia hujus rei exempla leguntur apud Liuium *Lib. II. Cap.* 13. *Lib. XXXI. Cap.* 50. *Lib. XXXIII. Cap.* 42. Manius Marcius, Aedilis plebis, teste Plinio *H. N. Lib. XVIII. Cap.* 3. primum, frumentum populo in modios assibus donauit. Cajus autem Sempronius Gracchus, Tribunus plebis, a. u. 631. primus tulit legem, vt frumentum plebi e publico daretur, triennio post, a. u. 633. abrogatam lege M. Octavii, tribuni plebis, cf. Cic. *Brut. Cap.* 62. et *de Offic. Lib. II. Cap.* 21. Liv. *Epitom. LVIII.* et *LX.* Patercul. *II.* 2, 3. et 15, 1. cf. Bachii *Hist. jurispr. rom. ed.* Stockmann. 1806.

nes, vel ad congiaria, vel ad sportulas. Hoc probat non

pag. 164. Post Gracchi tempora tres constat leges hac de re fuisse promulgatas. Primae suasor ignoratur, intercedebat autem Caj. Marcius, tribunus plebis, ne ferretur. Altera est lex Apuleja a. L. Apulejo Saturnino a. u. 653. aut circiter, promulgata, cf. Victor. *de Vir. Illustr. Cap.* 73. 1. et 5. Appian. *de bello civ. Lib.* 1. *Cap.* 29. *ed. Schweigh. Vol. II. p.* 42. impedita tamen a Caepione, cf. Auct. *ad Herenn.* 1. 12. Tertia Livia, a. u. 662. Patrum auctoritate lata a M. Livio Druso et abrogata a Philippo Consule, cf. Flor. *Epit. Lib. III.* 17. Post Sullae autem tempora, a. u. 681. Consules ad deliniendam plebem, cum impetu in Patres coortam, frumentariam tulerunt legem, quae ab auctoribus Terentia et Cassia vocatur, cf. Cic. *Verr. III. Cap.* 70. cf. Bach. *l. l. pag.* 181. §. *LXXVII.* quam post aliquot annos a. u. 691. secutum est Senatus Consultum, factum in sententiam Catonis. cf. Cic. *ad Att. Lib. II. Ep.* 19. Plutarch. *Vit. Cat.* — Successit denique lex seu potius leges P. Clodii, a. u. 695. vel 696. latae, quas Imperatores, nomine quidem spreto, receperunt, et perpetuam instituerunt frumentationem. cf. Bach. *l. l. pag.* 188. §. *LXXXV.* — cf. Lips. *Elect. Lib. I. Cap.* 8. Contaren. *de frument. Rom. largit. in* Graevii *Thesaur. Antiqu. Rom. Tom. VIII. pag.* 927. *seq.* Meierotto *über Sitten uud Lebensart der Roem. Part.* 1. *pag.* 11. *sqq.* Bosse *Grundzüge des Finanzwesens etc. Part.* 1. *pag.* 163. et Bachii *hist. jur. rom. pag.* 200. §. *XCVII.* Sublatas esse civicarum annonarum erogationes sub Heraclio Imperatore, probat e *Fastis Sicul.* Salmasius ad Vopisc. *Aurel. Cap.* 35. Attici largitionem frumentariam populo Athen. factam enarrat Nepos *Att. Cap.* 2. (nam universos frumento donauit,) qua de re Cic. *ad. Att. Lib. VI. Ep.* 6. sed heus tu, inquit, πυρὸς εἰς δῆμον Athenis?

26) cf. Maffei *Museum Veron. pag.* 400. De frumentaria dispensatione, quam egregie, vt solet, illustrauit Pancirollus in Notitia Imperii Occidentalis *Cap.* 5. extra rem non fuit verba fecisse, largitionibus enim ceteris et congiariis omnibus viam strauit. Olei quoque, vini, carnis et salis sub posterioribus Principibus gratuitae distributiones sunt habitae. Haec Maffeius; quibus addendum, quod legimus apud Suid. sub voce

tantum Augusti exemplum, qui teste Suetonio [27]) in congiariis distribuendis ne minores quidem pueros praeteriit, sed etiam Caligulae, [28]) Galbae [29]) atque Trajani, qui, si Alexandro ab Alexandro [30]) fides habenda est, infantes ad sportulas admisit, et teste Plinio, [31]) congiaria de suo dedit. Idem fecit Constantinus Magnus [32]).

Βρυμάλια, Romulum Brumalia excogitasse, εἰρηκὼς ἀναγκαῖον εἶναι τρέφειν τὸν βασιλέα τὴν ἑαυτοῦ σύγκλητον ἐν τῷ χειμῶνι, ὅτε ἠργοῦσιν ἐκ τοῦ πολέμου, κ. τ. λ. En prima rei alimentariae vestigia. Ceterum e loco Plin. *H. N. Lib. XXXI. Cap.* 7. (cf. *Not.* 19.) apparet, Congiaria antiquiora fuisse largitionibus frumentariis.

27) cf. Sueton. *Aug. Cap.* 41. — Alexand. ab Al. *Lib. V. Cap.* 24.

28) cf. Sueton. *Caligul. Cap.* 17. Congiarium populo bis dedit trecenos H. S. toties abundantissimum epulum senatui equestrique ordini, etiam conjugibus ac liberis utrorumque. Posteriore epulo, forensia insuper viris, pueris ac feminis fascias purpurae et conchylii distribuit. Idem fecisse C. Caesarem, Caligulam scilicet, monente Tiraquello, commemorat Alexand. ab Alex. *l. l.*

29) cf. Alexand. ab Alex. *Lib. V. Cap.* 24. Galba dedit populo congiarium et epulum Senatui et equestri ordini, ac praeter epulas forensia viris, feminis ac pueris fascias purpurae et conchylii, quibus veteres pro caligis utebantur. — Quam eandem consuetudinem in exhibendis epulis (cf. Capitol. *Pertin. Cap.* 6.) et distribuendis fasciis omnes habuisse videntur Imperatores.

30) cf. Alexand. ab Alex. *l. l.* Trajanus infantes quoque ad sportulas admisit.

31) cf. Plin. *Paneg. cap.* 26. *sqq.*

32) cf. Bellorii *Veter. Arcus August.* 47. Huc videtur quoque pertinere, quod habet Euseb. *Vit. Constant. Lib. IV. cap.* 44. πτωχοῖς δ' ἀνειμένοις, πενήτων τ' ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν μυρίοις πλήθεσι, τροφῆς καὶ τῶν λοιπῶν χρειῶν ἐν ἐνδείᾳ κ. τ. λ. cf. Goar *Not. et Observ. ad Codin. Cap.* 2. 56. *pag.* 29. *ed. Venet.* 1729.

in congiariis distribuentis. Hadrianus „Senatoribus, qui „non vitio suo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo senatoriae professionis expleuit ita, vt „plerisque in diem vitae suae dimensum sine dilatione „praestaret." [33]) Antoninus denique Philosophus pueros et puellas frumentariae perceptioni adscribi praecepit. [34])

Alimenta vero, paruulis a Trajano, Hadriano, et aliis data, licet non eadem sint ac congiaria, [35]) ratioque Alimentariorum longe differat ab Alumnorum [36]) conditio-

33) cf. Spartian. *Hadrian. Cap.* 7. Casaubonus ad h. l. annotauit, hoc Hadriano proprium, quod pro liberorum modo patrimonium Senatorum expleuerit, cum et Augustus, (Sueton. *cap.* 41. cf. Tac. *Ann. II,* 37.) et Nero (Sueton. *cap.* 10. cf. Tacit. *Annal. Lib. XIII. Cap.* 34.) et Vespasianus (Sueton. *cap.* 17.) Senatorum censum ampliassent.

34) cf. Capitol. *Anton. Philos. cap.* 7.

35) cf. Plin. *Paneg. Cap.* 27. et 28. Vtroque in loco alimenta a congiariis distinguuntur. cf. Lips. *ad Plin. Paneg. cap.* 26. *fin.* Quem tamen locum si contuleris cum *Cap.* 15. (cf. Plin. *H. N. Lib. XXXVI. Cap.* 15.) eumque non e sententia Lipsii, sed potius e *Cap.* 28. 3. intellexeris, vix dubitabis, quin congiaria et alimenta promiscue dicantur.

36) Aliena est ab hoc antiquitatis instituto Alumnarum Alumnorumve ratio, quos non solum commemorant lapides frequentes apud Gruterum, *pag.* CCCXXX. 5. DCLVI. — DCLX. Reinesium, *pag.* 528. XXV. 141. CII. 624. XLIII. 633. LXVIII. 628. LIX. LX. 625. XLVII. 615. XX. 622. XXXIII. 741. LXX. 872. XXIV. 903. XXV. 970. CCCXVI. et alios, sed quorum etiam fit mentio apud scriptores latinos, e. c. Plautum *Merc. IV.* 5, 7. vbi active legitur alumnus, pro eo, qui alit et educat; quo sensu etiam translate legitur alumna apud Silium *IX.* 533. cf. 297. Plin. *H. N. III.* 5. Flor. *III.* 21. licet ab aliis aliter explicentur hi loci: cf. Vallae *Elegant. VI.* 1.

ne, si spectas modum, quo usi sunt Imperatores in conferendis, conservandis et administrandis illis beneficiis, e communi consuetudine ejusmodi largitionum, recte judicantur. Videntur enim alimenta nihil aliud, nisi fru-

et Castal. *Var. Lect. cap. ult.* in Gruter. *Thesaur. crit. Tom. IV.* Passiue dicitur a Plauto *Cistell. IV.* 2, 96. cf. Sueton. *Claud. cap.* 39. et apud ICtos, cf. Brisson. *de Verb. signif.* sub. v. Alumn. Est autem in jure romano vocabulum alumni alumnaeve potissimum seruile, notatque vernam ex ancilla prognatum, qui prae reliquis a domino dilectus peculiariter alitur et enutritur. cf. *leg.* 38. *D. de fidei comm. libert.* et *leg.* 1. *C. quae res pign. obl.* Legitur tamen hoc vocabulum etiam de libertis *leg.* 21. §. 4. *D. de ann. legat.* Nomen nempe seruis inditum, manumissione facta, in pristini amoris memoriam retinebatur. Ad ipsos adeo liberos et ingenuos translatum est, *leg.* 24. *C. de Episcop. aud.* cf. *leg.* 3. *C. de infant. expos.* Quo factum est, vt Alumnus simpliciter dicatur pro eo, quem victu, disciplina aut moribus alimus, cf. Carpz. *Jurispr. Consist. Lib.* 2. *def.* 256. (Sic Caligula apud Tacit. *Ann.* 1. 44. dicitur legionum alumnus, jam infans, in castris genitus, in contubernio legionum eductus. *Cap.* 41. Et Hortalus, illectus ab Augusto, liberalitate decies H. S. ducere uxorem, suscipere liberos, suos filios dicit Augusti Alumnos. Tac. *Ann. II.* 37.) differatque ab Alimentario, qui alimenta ex testamento relicta, extra domum haeredis gravati capit, nec est filii, sed legatarii loco, cui alimenta praestantur non ex pietatis quodam officio et libera voluntate, sed ex necessitate quasi contractus per aditionem initi. *leg.* 8. §. 6. *D.* de transact. cf. Ant. van Dale *Dissertt. IX. Antiqu. diss.* 1. *Cap.* 11. *pag.* 165. qui Faustinae alumnum cum alimentariis pueris confundit. Vid. *Not.* 22. *fin. Specim. I.* — Alumnos ad frumenta admissos docet quidem Inscriptio apud Fabrett. *Inscr. Ant. pag.* 349. *sqq.* cf. infra *Not.* 68. sed utriusque conditio, et alumni et alimentarii, fuit diuersa. cf. Coler. *de Aliment. Lib. II. Cap.* 5, *n.* 16. *sqq.* De Jure Alumnorum peculiarem edidit publiceque defendit sub praesidio F. G. Struvii dissert. Joh. Balth. de Staud. Jenae 1716. cf. Marcell. Donat. *Dilucidat. in Jul. Capitol.* in *Thesaur. Gruter. Tom. VI. pag.* 874. et Ducker. *Animadv. ad Opuscul. Var. de Latin. IC. p.* 445.

menta, [37]) antiquitus populo exhibita vel pecunia pro frumento erogata. [38])

Fiebat autem frumenti [39]) distributio, quae in antiqua republica penes Aediles [40]) erat, initio cujusque

37) Annonam et rem alimentariam ejusdem fuisse significationis docet Ammianus Marcellinus *Lib. XX. Cap.* 4. coll. *Cap.* 8. Primo enim loco est: redire ad se Praefectum hortatus est, olim Viennam specie annonae parandae digressum; altero autem legitur: consulto discesserat Viennam alimentariae rei gratia etc. Et Capitol. *Anton. Philos. Cap.* 11. publica alimenta et rem frumentariam eodem sensu dixisse videtur. Apud Livium *Lib. II. Cap.* 34. annona pro pretio annonae legitur. Alimenta pueris data, nihil aliud fuisse, nisi frumenta, potissimum apparet ex iis, quae leguntur *Not.* 68. infra.

38) cf. *Not.* 52. infra et marmor apud Reines. *pag.* 405. Nolae repertum.

39) Modum frumenta colligendi enarrat Boecler. *l. l. pag.* 525.

40) cf. Cic. *Verr. III. Cap.* 14. et *de Leg. Lib. III. Cap.* 3. Sunto Aediles curatores urbis, annonae, ludorumque solemnium. cf. Liv. *Lib. XXXI. Cap.* 4. et *Cap.* 50. et Lips. *Elect. Lib. I. Cap.* 8. Iulius Caesar primus instituit Aediles Cereales, Duumuiros scilicet, qui annonam curarent, frumentum, cum opus esset, populo publice distribuerent, ludosque Cereris in Circo facerent. cf. Pompon. *de Origin. Jur. et omn. Magist. D. leg.* 2. §. 32. et Dio Cass. *Lib. XLIII. Cap.* 51. *καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον ἔτος ταμίαι τεσσαράκοντα προεχειρίσθησαν, ὥσπερ καὶ πρότερον καὶ ἀγορανόμοι, τότε πρῶτον, δύο μὲν καὶ ἐξευπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους· ὧν οἱ δύο γὰρ ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσι. κ. τ. λ.* Huc quoque videtur pertinere numus, quem Lazius *Comment. reipubl. rom. Lib. II. Cap.* 15. *pag.* 215. *sq.* contra Stradam, tribuit C. Memmio. Ex una est: AED. CEREALIS; ex altera: QVIRINVS. cf. Eckhel. *Part. II. Vol. V. p.* 251. *sq.* et *pag.* 198. *sq.* et *pag.* 208. *infra*, qui degente Memmia et utrum QVIRINVS sit cognomen Memmii an Romuli, multa disputauit. Agrippa, ultro Aedilis factus, oleum et salem distribuit populo etc. cf. Dio Cass. *Lib. XLIX. Cap.*

mensis [41]) per tesseras, [42]) quibus, quicunque accipie-

43. *sq.* Apud Gruter. *pag.* *CCLXXI.* 5. 6. *CCCCXXXIII.* 1. *CCCCXLI.* 4. et *CCCCXLII.* 9. dicuntur CERIALES. Idem Gruter. *pag.* *CCXV.* et Reinesius *Class.* *VI.* *n.* 114. *pag.* 453. habent AEDIL. ANNON.

41) cf. Dionys. Halicarn. *Lib.* *I.* *pag.* 228. *ed.* *Francf.* τὸν δημοσίᾳ διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα. Iam inde a C. Gracchi temporibus largitio frumenti menstrua fuisse videtur. Appianus enim *de Bell.* *civ.* *Lib.* 1. *Cap.* 21. aperte dicit, Gracchum tulisse legem de frumento menstruo (σιτηρέσιον ἔμμηνον) plebi viritim diuidendo ex publico, quod ante nunquam factum sit. Suidas, cujus tamen notationem Lips. *in Elect.* *Lib.* 1. *Cap.* 8. minime probat, sub voce Νῶναι, id fieri solitum, innuit, sub ipsas Nonas: δοκοῦσι δὲ παρ' αὐτὰς γενέσθαι αἱ ἀννῶναι, ὡς οἷον αἱ ἀνὰ τὰς νώνας διδόμεναι. cf. Brisson. in voc. menstruum. Augustus permutatione tentata abstinuit. cf. Sueton. *Aug.* *Cap.* 40. et 41. Nero praetorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum constituit. Sueton. *Ner.* *C.* 10. cf. *Not.* 68.

42) cf. Sueton. *Ner.* *Cap.* 11. quo in loco, ut alibi commemorantur tesserae frumentariae. Bellor. *Arc.* *August.* 47. cf. Donatus *de Vrbe Roma* *Lib.* *III.* in Graev. *Thesaur.* *ant.* *rom.* *Tom.* *III.* *pag.* 682. *sq.* qui hujus arcus triumphalis descriptionem exhibet satis longam. — *Leg.* 52. §. 1. *D.* *de judiciis:* Si libertis suis tesseras frumentarias emi voluerit; ad quem locum cf. Turneb. *Advers.* *Lib.* *XIX.* *Cap.* 26. *Leg.* 49. §. 1. *D.* *de Legat.* 2. Si Titio frumentaria tessera legata sit etc. — In distribuendis rebus tesserae omnino in vsu fuisse videntur. cf. Sueton. *Aug.* *Cap.* 41. Frumentum quoque in annonae difficultatibus saepe leuissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est, tesserasque numarias duplicauit. De Agrippa proficiente in theatro de sublimi loco tesseras, quibus argentum, vestes, vel aliae quaedam res offerebantur cf. Dio Cass. *Lib.* *XLIX.* *Cap.* 43. Idem Dio *Lib.* *LIX.* *Cap.* 50. dicit, Cajum ludis gymnicis tesseras projecisse in vulgus. De Neronis globulis cf. Dio Cass. *Lib.* *LXI.* *C.* 18. et Reimar. *ad h. l.* De Titi sphaeriis cf. Dio *Lib.* *LXVI.* *C.* 25. De Domitiani, cf. Dio Cass. *Lib.* *LXVII.* *Cap.* 4. Hadrianus dona per tesserulas separatim viris, separatim mulieribus in theatro et in Circo dedit. cf. Dio Cass. *Lib.* *LXIX.* *Cap.* 8. Casaubonus ad Spartian. *Sever.* *Cap.* 23. cum Guilielm. Budaeo

bant, instructi ad horrea [43]) publica petitum ibant frumentum. [44]) Quantum sit datum ad perceptionem admissis, quorum nomina in tabulas publicas descripta adseruabantur, [45]) obscurum est. [46]) Ex lege fru-

tesseras frumentarias putat fuisse choenicarias. In modio nempe romano octo fuisse choenices constat; quae legitima mensura est homini in diem alendo necessaria. Longa et docta de tesseris dissertatio Salmasii ad Vopisci *Aurel. Cap.* 35. digna est, quae legatur. cf. Lips. *Elect. Lib.* 1. *Cap.* 8. et Brisson. *in Tessera.*

43) De horreis cf. Panciroll. *descript. Vrb. Rom.* in Graev. *Thes. antiqu. rom. Tom. III. pag.* 327. *C.* Bellor. *Fragm. vestig. Vet. Rom. Tab.* 1. et Salmas. ad Lamprid. *Alexand. Sever. Cap.* 39. Posteriori aetati horrea ista simpliciter dicta sunt condita. — De Horreario cf. Maff. *Mus. Ver. pag.* 133. 7.

44) Hoc colligi posse videtur ex loco Apuleii *de Mundo pag.* 750. *ed. in vsum Delph. Par.* 1688. quem et Lips. *Elect. Lib.* 1. *Cap.* 8. habet: Alius ad Minutiam frumentatum venit, etc. Boecler. *de annona sub. Imper. pag.* 516. legi vult: frumentariam.

45) cf. Sueton. *Caes. Cap.* 41. Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit; atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi coetus recensionis causa moueri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a Praetore fieret. cf. Tacit. *Annal. Lib. I. Cap.* 11. „Tiberius, mortuo Augusto, proferri libellum recitarique jus„sit. Opes publicae continebantur, quantum ciuium sociorumque in armis; „quot classes, regna, prouinciae, tributa, aut vectigalia et necessitates ac „largitiones, quae cuncta sua manu perscripserat Augustus." — Qui liber esse videtur is, quem Sueton. *Aug. Cap.* 28. dicit rationarium imperii, et *Cap.* 102. breuiarium totius imperii. Alterum Volumen a Sueton. *Cap.* 102. commemoratum, Lipsio ad Tac. *Ann. Lib I. Cap.* 11. videtur Monumentum Ancyranum, quod ad calcem

mentaria [47]) singulis, in singulos menses, quinos modios fuisse datos, constat. Quos autem antiquitas con-

Suet. *ed. a Pitisco*, ab Andr. Schotto, ex charta Cossonii, c. Animadv. Casaub. optime vero a Wolfio V. C. in *s. ed. Suet.* legitur emendatum. cf. Gruter. *pag. CCXXX. sqq.* Ex his locis illustratur quodammodo Capitol. *Ant. Philos. Cap. 7. extr.* et *Cap. 26.* — cf. Pitisc. *ad Sueton. l. l.* et Sueton. *Aug. Cap.* 40. — Nero curam tabulorum publicarum a Quaestoribus ad Praefectos transtulit, cf. Tacit. *Annal. Lib. XIII. Cap.* 28.

46) cf. *Not.* 41. Lips. *l. l.* Si, inquit, conjecturis agendum sit, crediderim, vt minimum sex modios, siue medimnum Atticum accepisse eos in mensem, etc. Aliam inire solent rationem, qui conjiciendo definientes numerum frumenti ciuibus singulis per singulos menses dati, sequuntur Polybium *Histor. Lib. IV. pag.* 673. *Tom.* 1. *ed. Gron:* *Verba Polybii sunt haec:* σιτομετροῦνται δ' οἱ μὲν πεζοὶ, πυρῶν, Ἀττικοῦ μεδίμνου δύο μέρη, μάλιστά πως. οἱ δ' ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνους εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο. τῶν δὲ συμμάχων οἱ μὲν πεζοὶ τὸ ἴσον, οἱ δ' ἱππεῖς πυρῶν μὲν μέδιμνον ἕνα καὶ τρίτον μέρος, κριθῶν δὲ πέντε. Modus autem uniuersae hujus largitionis pro immensis populi Romani opibus immensus fuit. cf. Spart. *Sever. Cap.* 23. Moriens (Severus) septem annorum canonem (canon autem dictus est frumenti numerus, qui quotannis absorbebatur,) ita, vt quotidiana septingenta quinque millia modiorum expendi possent, reliquit: olei vero tantum, vt per quinquennium non solis Vrbis usibus, sed et totius Italiae, quae oleo egeret, sufficeret. cf. Spart. *Heliogab. Cap.* 27. *fin.* Salmasius ad Spartian. *l. l.* haec annotauit: Est singularis in Romana historia locus hic: ex quo de multitudine turbae frumentariae conjecturam facere possumus; quam ad sexies centena millia accessisse putat, quae quotidianum demensum de publico accipiebant.

47) Auctor hujus legis plane ignoratur. Legem ipsam commemorat Macr. Licinius, Tribunus plebis, in Oratione ad plebem apud Sallust. *histor. fragm. Lib. III.* 19. *ed. Cort. pag.* 974. Verba illius sunt: nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur; qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumauere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Sunt, qui Legem

stituerat annonae et alimentorum curatores atque ministros, his Imperatores, a priorum temporum consuetudine haud facile discedentes, suorum quoque beneficiorum commiserunt curam. Commemorantur enim et in monumentis antiquis, et in veterum libris, non tantum alimentorum Praefecti, [48]) sed etiam Curatores, [49]) Procu-

Cassiam Terentiam (cf. *Not.* 25.) intelligunt. cf. Bachii *Hist. Jur. ed. Stockm.* 1806. *pag.* 181.

48) cf. Liv. *Lib. IV.* 12. qui L. Minucium (cui fortasse Minutia frumentaria cf. infra *Not.* 68. Romae debet nomen, de quo ambigit Boecler. *de ann. sub. Imper. pag.* 516.) Praefectum annonae creatum dicit a. u. 315. Cicero *ad Attic. Lib. IV. Ep.* 1. scripsit, legem consules conscripsisse, qua Pompejo per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur. Ad hujus exemplum, teste Dion. *Lib. LIV. Cap.* 1. Augustus quoque suscepit Praefecturam annonae, jussitque, vt singulis annis duo viri, qui ante quinquennium praeturam gessissent, frumento distribuendo constituerentur. Et *Lib. LIV. Cap.* 17. Dio, Augustum, ait, instituisse, vt ad distribuendam annonam magistratus singuli singulos ex iis, qui ante triennium praeturam gessissent, proderent, quorum quatuor sorte delecti frumento diuidendo vacarent ordine, vt vnus semper praefectus vrbis propter ferias, non plures, constitueretur. Sueton. *Aug. Cap.* 37. ab Augusto excogitatam enarrat curam frumenti populo diuidundi. Videtur hoc officium a militia in urbem traductum, ac MINICIAE CVRATORIS fuisse, cf. Gruter. *pag.* CCCLXXXI. 3. Ad quae omnia fortasse respexit Panciroll. *Notit. dignitat. imper. rom. occ. Cap.* 4. Turranium sub Tiberio Praefectum annonae memorat Tacit. *Annal. Lib. I. Cap.* 7. et *Lib. II. Cap.* 31. cf. Lips. *Elect. Lib. I. Cap.* 8. De Pertinace et Didio Juliano infra. cf. Senec. *de brevit. vit. Cap.* 18. et 19. Boecl. *l. l. pag.* 518. et Bulanger. *de imper. rom. V.* 13. *VI.* 2. et 20. — Apud Gruter. *pag.* CCCCXXXIII. 1. legitur CVR. VIAR. ET. PRAEF. ALIMENT. CLODIAE. ET. COHERENT. — *pag.* MXCVII. 7. PRAEF. ALIMENT. PER. AEMILIAM. De Praefectis Annonae vid. Gruter. *pag.* XXXII. 6. CCCXIII. 6. CCCLXX. 3. CCCCXXVI. 5. CCCCXXXIII. 4.

4

Procuratores, [50]) Quaestores [51]) et Ministri, [52])

mlxxxvi. 6. Curatores annonae in municipiis, Lips. *Elect. I.* 8. eosdem putat ac Annonae Praefectos. cf. Gruter. *pag.* ccccxi. 6. ccccxxi. 7. ccccxxxv. 8. dcxxii. 4. cclxxi. 1. ccccxxxv. 8. ccclxxxvi. 4. mxcii. 7. cccclxxxix. 12. — CVRAT. FRVM. est apud Gruter. *pag.* cccclx. 5. et ccccxviii. 6. *ἐπιμεληταὶ τοῦ σίτου*, apud Dion. Cass. *Lib. LIV. Cap. I.* cf. Sueton. *Aug. Cap.* 37. — PRAEF. F. D. i. e. Praefectus frumenti dandi legitur apud Gruter. *pag.* ccccv. 3. ccccxi. 2. ccccxlvi. 8. ccccxcix. 6. mxci. 8. Idem *pag.* cccclxii. 1. habet: QVI. REXIT. ANNONARIAM. POTESTATEM. VRBIS. AETERNAE.

49) cf. Gruter. ccccxxxv. 8. et Fabrett. *Inscript. Cap. V. pag.* 368.

D. M. S.
L. MARCVLEIO. SATVRNINO
VETERAN. AVGVST. COH. VII.
PR. IIII. VIR. I. D. QVAESTORI. REIPVBLICE
CVRATORI. PECVNIAE. REIP. ALIMENT. CVRATORI
ANNONE. PLEBIS. CVRATORI. OPERVM. PVBLICOR
CVRATORI. APVD. IOVEM. STATOREM
QQ. COLEGI. FABROR. TIGNVARIORVM. L. M.
ARCVLEIVS. FAVSTVS. IVNIOR
IIII. VIR. IVRE. DIC
CVRATOR. ANNONE. PATRI
OPTIMO. ET. SIBI. FECIT

50) cf. Gruter. *pag.* cccclxxxv. 6.

D. M. S.
M. VESERIO. M. F. PAL
IVCVNDIANO
PRAEF. FABRVM. ADCENSO
VELATO. PROC. ALIM. VIAE
FLAM. IIVIR. DESIGN

ib. pag. ccccLviii. 7. legitur: PROC. AD. ALIMENTA, *pag.* ccccii. 4. PROC. MINVCIAE. PROC. ALIMENTORVM. PER. TRANSPADVM. HISTRIAM etc. *pag.* ccccxi. 1. cf. Vulpii *Vet. Lat. Tom. IX. pag.* 165. sub statua T. Flavii, Patroni Coloniae Praenestinae, sub ipsa Praeneste, in via publica, qua Albam itur, legitur: PROC. AD. ALIMENTA ITALIAE. BRVTT. CALABR. ET. APVLIAE.

quorum alii vniuersae rei alimentariae, alii alimentariorum curam specialem habuisse videntur. Patet hoc in primis e lapidibus, qui dissertis verbis hunc nostrum monstrant morem, [51]) cujus similitudo cum antiqua frumentationis consuetudine, aliis quoque in rebus apparet, quas licet colligere

51) cf. Donii *Inscriptt. ed. ab Ant. Franc. Gorio pag.* 164. *no.* 17. Gruter. *pag.* CCCLII. 1. QVAEST. ALIMENT. *pag.* CCCXCIV. 8. et *pag.* CCCXCV. 1. Q̄. ALIMENTORVM. cf. *pag.* CCCXCVII. 2. CCCCXVIII. 6. CCCCXL. 6. et Reines. *pag.* 405. *Class. VI.* 24. *infra.* Gruter. *pag.* CCCCLI. 5. Q. ALIMENT. CVR. PEC. PVBLICAE. CVRATORI. FRVMENT. Maff. *Mus. Veron. pag.* 463. 3. CVRAT. ALIMENT. DISTRIB. cf. *pag.* 230.

52) e. c. Villicus ab alimentis, cf. Gruter. *pag.* MXXXIII. qui agebat in officio Praefecti Aliment. cf. Reines. *Class.* 1. CXXV. *pag.* 163.

D. M.
SECVNDI
OCTOBRIS
VERNAE
SECVNDINAE
VICARIS
VERECVN
DVS. VRV
VIL. AB. ALIM.

Hujus generis fuisse quoque videntur, qui commemorantur in lapidibus apud Gruter. *pag.* DXCII. 8. 9. et DXCIII. 1. 2.

DIS. MAN
ASCLEPIADI
ATHICTVS. L. N
A. FRVMENTO
VICARIAE. CARISSIMAE
BENEMERENTI
FECIT. ET. SIBI

COINTO. AVG. LIB.
A. FRVM
MINISTRAT
QVI. VIXIT. ANN. LXX
ALEXANDER. AVG. LIB
NVTRITORI. SVO. BENE
MERENTI. POSVIT
PALLADI. TAVTA

ex aenea illa Traiani tabula, in gratiam Velejatium confecta. Ibi enim pueris atque puellis legitimis adsignata leguntur in

D. M.
NITORIS
DOMITIAE. AVG. AVCTORI
A. FRVMENTO
VIX. AN. XXXV.
FECIT. LAMPYRIS. DOMITIAE
AVG. LIB

VOLVSIAE. ARBVSCVLAE
PALLANS. Q N
A. FRVM
CONTVBERNALI. CARISSI
MAE. ET. SIBI
PERMISSV. DEC

cf. Fabretti *ad Col. Traj. Cap.* 2. *pag.* 35. qui Q N explicat Quaestori Numerorum a frumento scl. distribuendo. cf. infra. *Nota* 68.

53) cf. Murat. CDLXIX. 9. C. ALFIO. C. F. SERGIA
CLEMENTI. MAXIMO. IV. VIR. I. D
AEDILIQ. PECVNIARVM
PVBLICARVM. Q. ALIMENTOR
PVERI. ET. PVELLAE. QVI
EX LIBERALITATE. SACRATIS
SIMI. PRINCIPIS. ALIMEN
ACCIPIVNT. CONSENSV
PARENTVM. EX. AERE
CONLATO
. . . . C. L. D.

Verba hujus lapidis CONSENSV PARENTVM etc. non conjungenda sunt cum antecedentibus ALIMEN. ACCIPIVNT, quasi Imperator consensu parentum ex aere collato alimenta paruulis dederit; sed cohaerent potius cum infra scriptis notis, quas mutilatas, si licet explere, velim legi H M F C C L D ita, vt sensus sit: pueri ac puellae, qui alimenta accipiunt, consensu parentum, ex aere collato Hoc Monumentum Facere Curarunt, Loco Dato. Fauent huic explicationi, quae apud Gruterum leguntur inscriptiones, *pag.* CCCXCV. 1. CCCXXII. 7. CCCLXXIII. 5. CCCCXVII. 4. CCCCLVII. 8. CCCXXII. 5. CCCLXVII. 4. CCCCLXXIV. 3. MLXXXVIII. 9. CMXLIX. 10. CCCCLXXXVIII. 6. CCVIII. CCCXXXIII. 3. Reinesius *pag.* 405. *Class. VI.* 24. peculiarem, inquit, fuisse arcam pecuniae alimentariae, eidemque

singulos menses alimenta, seu potius pecunia alimentaria. [54]) Quam vt saluam praestaret Imperator, suum-

praepositum Quaestorem, dictum Quaestorem pecuniae alimentariae, et in hanc rem lapidem affert Nolae repertum;

D. M.
TI. CL. MAXIMO. II. VIR. AEDIL
QVAEST. PECVNIAE. ALIM
VIXIT. ANN. XLII. M. V.
TI. CL. NOVEMBER
CL. HERMIONE. ET
FILIO. BENEMERENTI. FEC
ET. SIBI

cf. *id. pag.* 434. *Class. VI.* 73. et Gruter. *pag. LIX.* 6. Hunc Quaestorem Nolanum Alimentariorum fuisse vulgo putant, conjiciuntque e numis et marmoribus inscriptis ALIM. ITAL. — PRAEF. ALIM. PER. AEMILIAM. — ALIM. CLODIAE. — PROC. ALIM. VIAE. FLAM. cf. *Not.* 48. 49. *et* 50. et Spanhem. *de V. et Praest. Num. Tom. II. pag.* 543. ejusmodi instituta extitisse per reliqua Italiae Oppida. Ipse Pertinax alimentis dividendis in via Aemilia procuranit, cf. Capitol. *Pertin. Cap.* 2. *coll.* 4. *et* 7. Dicitur autem Veleja ad Viam Aemiliam (cf. Panvini *Descript. urbis Rom. pag.* 240. in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. III.*) sita. cf. *Memoire de Mr.* Paciaudi *sur l'ancienne Capitale de Velejates*, in *Gazette Litter. de l'Europe Tom. IV. Paris.* 1765. *pag.* 353. *sqq.* Cluver. *Ital. IV.* 14. *pag.* 1259. Cellar. *Geogr.* 1. *pag.* 665. et *Orb. ant. Tom.* 1. *pag.* 532. Leguntur apud Plinium *H. N. Lib. III. Cap.* 5, *VII.* Velejates Ligurum, et *Lib. VII. Cap.* 49. *L.* dum ponit exempla longaeuorum inter Apenninum Padumque, qua regione Ligurum terram indicare videtur, Oppidum Velejacium, quos quidem ab illis diversos putat Harduinus *ad l. l. Plin.* eosdem tamen cum incolis oppidi, *πόλεως Βηλίας*, cujus mentionem iniicit Phlegon Trallianus *de longaevis Cap.* 2. in Graev. *Thes. ant. gr. Tom. VIII. pag.* 2730. Quos Vecteros cognominatos, in octaua Italiae regione, volunt, qui sequuntur Stephanum *Diction. histor. geogr.* Differt autem Veleja a Velis Lucaniae, ab Horatio *Lib.* 1. *Epist.* 15. 1. commemorata, et ab vrbe Hispaniae Tarraconensis, hodie Viana di-

que beneficium conservaret posteritati, praediolis, data

cta, nec non ab iis montis Palatini partibus, quae Varroni *de L. L. IV.* 8. Veliae, aliis Summa Velia et Subuelia dicuntur. cf. Nardin. *Rom. Vet. VI.* 12. Marliani *Vrbis Romae Topograph. Cap. XVII.* in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. III. pag.* 98. Panvin. *Descript. Vrb. Rom.* in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. III. pag.* 272. al. — Murator. *dell' insigne tavola* etc. in Gor. *Symb. lit. Vol. V. pag.* 17. *Cioè si troverà, che il Castello d'Ancarano anche ne tempi di Trajano Augusto portava questo nome. E quando il sito proprio di Veleja non fosse quello stesso, dove s'è trovata la Tavola, si potrebbe sospettare, che la moderna Liveia Villa fosse l'antica Veleja. Similmente si può conghietturare, che Niviano sia il nome corrotto di fundum Nivianum in essa Tavola registrato; che Mulazzano, o Mulazzana d'oggidì, ci ricordi fundum Munatianum, o Coloniam Munatianam d'allora; che Corniano o Corneliano moderno fosse fundus Cornelianus degli Antichi; e Solignano, fundus Solianus;* etc. cf. *pag.* 38. *sqq.* §. *VI. del Territorio di Veleja, enunziato in questa Iscrizione. Pag.* 44. *sqq.* doctam quoque habet dissertationem de vi vocum colon. praed. in tabula ista commemor. — Didius Julianus curam alimentorum in Italia meruit, cf. Spart. *Did. Jul. Cap.* 1. nisi forte haec cura militaris fuit. — Apud Gruter. *pag.* CCCLXXXVI. 4. cf. MXCII. 7. et *pag.* CCCXCVII. 2. legitur quoque Quaestor ARCae PVBlicae ET PECuniae ALIMENTARiae, quem Reinesius *l. l. pag.* 431. parem vel superiorem fuisse putat Arcario, cui cura arcae publicae, (quae Senatoriae auctoritatis erat, cum Praefectus aerarii pareret Imperatori,) commissa. cf. Gruter. *pag.* CCCXLIV. 3. 12. et CCCLII. 1. cf. Vrsat. *de Notis Roman.* in Graev. *Thes. Ant. Rom. Tom. XI. pag.* 537. et Turneb. *Advers. Lib. XI. Cap.* 10.

64) In illa enim Tabula haec leguntur verba: ACCIPIANT LEGITIMI N. CCXLV. IN SINGVLOS scl. menses etc. — Romae dedit Trajanus alimenta quinque millibus; Velejae ducentis octoginta vni, nempe ducentis quadraginta quinque pueris legitimis et spurio vni, puellis triginta quatuor et spuriae vni. Legitimis h. l. opponuntur spurii. Illi ex jure dicuntur, qui legitimis et justis nuptiis quaesiti ac procreati sunt, cf. *leg.* 45. *D. de vulg. et pupill.* Legitimae autem nuptiae, quae ex jure ciuitatis romanae contractae sunt, cf. *leg.* 19. *D. de statu homin.* cf. Brisson. in voc.

eorum possessoribus pecunia, imposuit vectigalia, paruulorum alimentis suffectura. [55])

Qua in re Trajanus vel caute secutus est Nervae exemplum, qui egestuosis ciuibus agrum, quingentis ferme aureorum millibus emtum dedit, [56]) vel suasorem aut

Matrimon. Spurii quidem appellantur vulgo quaesiti et patre incerto nati, cf. *leg.* 19. *D. de statu homin.* apparet autem ex *leg.* 6. *C. de suis et legit.* conceptum ex libera et seruo etiam velut spurium haberi. Huc etiam pertinere videtur, quod habet Apul. *Met. VI. pag.* 397. *ed.* Oudendorp. et *pag.* 182. *ed. in us. Delph.* Impares nuptiae et praeterea in villa, sine testibus et patre non consentiente factae, legitimae non possunt videri: ac per hoc spurius iste nascetur. Cum autem Traianus, teste Plinio *Paneg. Cap.* 28. Romae ingenuis alimenta dederit, quaeritur, cur Veleiae spurios ad hoc beneficium admiserit? Si credimus Gajo *Lib.* 1. *Instit.* cf. *Instit. de ingenuis,* ingenui non tantum dicti sunt, sive ex duobus ingenuis matrimonio editi, sive ex libertinis duobus, sive ex altero libertino et altero ingenuo, sed etiam qui ex matre libera, licet patre seruo, nati. Sufficit enim liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licet ancilla conceperit. cf. Patarol. *ad Plin. Paneg. Cap.* 28. et Hotmanus *de Spuriis et Legitim.* in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. VIII. pag.* 1200. *seq.*

55) Modicas scilicet vsuras, quincunces, cum centesimae alias in vsu, quas sanguinolentas dicit Seneca *de Benef. Lib. VII. Cap.* 10. voluntariaque mala ex constitutione Romana pendentia. cf. Murator. *l. l. pag.* 29. — Tabula in illa Velej. commemorantur non tantum praedia eorumque possessores, sed etiam vectigalia praediolis obligatis imposita, qua de re satis et docte exposuit Cl. Wolfius *l. l.* Si quis est, qui velit cognoscere, quae suo in libello hac de re disseruit Pitarelli, is adeat quaeso *Allgem. Litter. Zeit.* 1792. *Vol.* 1. *pag.* 67. *sqq.*

56) Dio Cassius *Lib. LXVIII. Cap.* 2. hac de re ita loquitur: τοῖς τε πάνυ πένησι τῶν Ῥωμαίων ἐς χιλιάδας καὶ πεντακοσίας μυριάδας γῆς κτῆσιν ἐχαρίσατο, βουλευταῖς τισι τήν τε ἀγορασίαν αὐτῶν καὶ τὴν διανομὴν προστάξας. Etiamsi his verbis non eadem cele

imitatorem habuit Plinium. 57) Hic enim Caninio consultanti, quomodo pecunia municipibus in epulum oblata,

bratur, quam laudat Victor. *Epit. XII*, 4. liberalitatem Nervae in pueros parentum egestuosorum, quamquam idem Dio *Lib. XLVIII. Cap.* 5. seu potius illius epitomator, usus est simili breuitate in enarranda Trajani munificentia pueris exhibita; facile tamen patimur nobis persuaderi, Nervam imitandum sibi proposuisse exemplum Julii Caesaris, qui, auctore Sueton. *Caes. Cap.* 20. 6. campum stellatum, majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia reipublicae vectigalem relictum, diuisit extra sortem, ac viginti millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent. Balbus autem, maritus Juliae, sororis Caesaris, et auus Augusti ex filia Atia, functus honore Praeturae, quod idem testatur Sueton. *Aug. Cap.* 4, 5. diuisit inter viginti viros agrum Campanum plebi, Julia lege; qua promulgata obnuntiantem collegam Caesar armis foro expulit. cf. Sueton. *Caes. l. l.* Liv. *Epit. CIII.* et Dio Cass. *Lib. XXXVIII. Cap.* 1. *seq.* Cic. *ad Att. II*, 16. 18. Plutarch. *in Vit. Caes.* cf. Bach. *hist. iur. pag.* 186. — Ceterum, quaenam fuerit cautio a Trajano adhibita, intelligitur quodammodo e Plin. *Epistol. Lib. VII. Ep.* 18. Vti enim Plinius, animum ac mentem Trajani in omnibus fere referens, verebatur, ne publico agro neglecto, beneficium plane interiret suum; ita Trajanum, experientia edoctum, eadem de causa recessisse arbitror a Nervae exemplo.

57) Hanc rationem, ne dicam necessitudinem, Plinio intercessisse cum Trajano, satis apparet ex omnibus fere Epistolis illius Lib. X. ad Trajanum scriptis, inprimis *Ep.* 62. (Gierig. 63) ubi: Pecuniae publicae, Domine, prouidentia tua, et ministerio nostro etiam exactae sunt, et exiguntur: quae vereor ne otiosae jaceant. Nam et praediorum comparandorum aut nulla, aut rarissima occasio est; nec inueniuntur, qui velint debere reipublicae, praesertim duodenis assibus (Centesimae) quanti a priuatis mutuantur. Dispice ergo, Domine, num quid minuendam usuram, ac per hoc idoneos debitores inuitandos putes, etc. Addit Murator. *l. l. pag.* 30. *Fu sequitato questo metodo da Trajano, allorchè cercò de' fondi fruttiferi per fondarvi sopra le rendite degli Alimentarj.* Et *pag.*

post mortem salua esse possit, scripsit haec: [58]) nihil commodius inuenio, quam quod ipse feci. Nam pro quingentis millibus numorum, [59]) quae in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipaui: eundem vectigali imposito recepi, tricena millia annua daturus. Per hoc enim et reipublicae sors in tuto, nec reditus incertus et ager ipse, propter id, quod vectigali large supercurrit, semper dominum, a quo exerceatur, inveniet. Sinile institutum hominis privati, eandem rationem sequentis, esse videtur obligatio praediorum facta per Cornelium Gallicanum, [60]) cujus mentio iniicitur in fine ta-

27. *Che* (Plinio) *profittò dell' esempio di lui, o fors anche avea servito a lui di Consigliere in tale impresa.*

58) cf. Plin. *Epist. Lib. VII. Epist.* 18.

59) Quingenta millia numorum aequant 23871 Rthlr. 14 gr. 2 pf. Sestertius enim si redigatur ad rationem nostrae monetae, inde a Nerone interfecto ad Caracallae usque tempora, habet valorem 1 gr. $1\frac{3}{4}$ pf. cf. Grosse *Metrol. Tafeln, pag.* 106. et 306. Rasche *Tom. IV. Part. Poster. pag.* 770. qui fere omnes, qui de Sestertio scripserint, laudat. Tricena millia annua a Plinio data = 1432 Rthlr. 7 gr. Plinius igitur, monente Gesneio, vectigalem ita recepit, vt solueret vsuras semisses (6. per centum.) Ex qua pecunia, si Trajani institutum spectamus ita, vt tantum cogitemus de pueris, (nam in alimenta ingenuorum Plinius istam promisserat pecuniam,) annua acceperunt alimenta centum et sexaginta.

60) cf. *Tab. aen. Traj. Col. VII.* ITEM. OBLIGATIO. PRAEDIORVM. FACTA. PER. CORNELIVM. GALLICANVM. OB. H—S. LXXII. (= 3137 Rthlr. 12 gr.)

bulae illius aeneae, curam Trajani de Alimentariis Velejatium testantis.

Cautum igitur erat hac ratione, ne posteri carerent munifico hoc instituto, quod neglectum [61]) quidem a nonnullis Imperatoribus, restitutum tamen et auctum videtur ab aliis, [62]) et ad seriora tempora conservatum. Qui

VT. EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXIMI. PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI. AVGVSTI. GERMANICI. PVERI. PVELLAEQVE. ALIMENTA. ACCIPIANT. LEGITIMI. N. XIIX. IN. SINGVLOS. H. S. XVI. N. FIVNT. H. S $\overline{III}$CCCCLVI. LEGITIMA. H. S. XII. FIT. SVMMA. VTRAQVE. H. S. $\overline{III}$IDC. (= 171 ℛ. 21 gr.) QVAE. FIT. VSVRA ss. ∽ ss SVMMAE. S. S. (Aliter Beckmann *l. l. pag.* 403.) Maff. *Mus. Veron. pag.* 402. haec annotauit: Cornelius Gallicanus Trajani largitionem auxit. Hoc quidem mirum non est, interdum enim priuati quoque populo his largitionibus gratificabantur. Quod vero hae quoque pecuniae ex Trajani indulgentia dicuntur concessae, vel assentationis ingenium redolet, vel docet, non potuisse priuatos sine Principis assensu has erogationes facere. Vel, vt mihi videtur, volebat Gallicanus auctoritate et indulgentia Principis vti, vt suum beneficium firmius redderet. Nec alienum videtur a ratione illorum temporum, multorum beneficia in eandem ciuitatem collata una profiteri tabula.

61) cf. *Specim. I. Not.* 29.—33. Haud scio, an huc pertineat, quae habet Capitol. *Gordian. Cap.* 28. de Misitheo, Praef. Praetor. qui nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere.

62) e. c. ab Hadriano, Antoninis, Pertinace. cf. *Specim. I. pag.* 13. *sqq.* Simile institutum promisit etiam Maximinus, cf. Namprid. *Ant. Diadum. Cap.* 2. *fin.* Vellem, inquit, Quirites, jam praesentes essemus, Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Daret praeterea et pueros Antoninianos et puellas Antoninianas, quae tam grati nominis gloriam propagarent.

cum probi ac justi essent, omnem rem alimentariam in tabulas publicas relatam, [63]) legum sacratarum catenis voluerunt esse constrictam, [64]) vt avaritiae et vaganti licentiae frenis iniectis turpem amouerent culpam.

63) Hunc morem probe illustrauit Murator. *l. l. pag.* 52. *sqq.* cf. Plin. *H. N. Lib. XXXIV. Cap.* 9. *leg.* 1. *Cod. Theod. de alimentis quae inopes etc. (Lib. XI. tit.* 27.) Plin. *Paneg. Cap.* 75. *init.* Pueros ad alimenta vel ad congiaria admissos, in tabulas publicas descriptos legimus apud Plinium *Panegyr. Cap.* 26. Tu ne rogari quidem sustinuisti; et quamquam laetissimum oculis tuis esset conspectu romanae sobolis impleri, omnes tamen, antequam te viderent, adirentue, recipi, incidi jussisti, (in aeneis scl. tabulis, in quibus styli incisione ciuium nomina scribebantur;) vt jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur. Et *Cap.* 28. et quanto majorem infantium turbam iterum atque iterum jubebis incidi etc. De Antonino Phil. idem testatur Capitol. *Ant. Phil. Cap.* 7. *extr.* Pueros enim et puellas nouorum hominum frumentariae perceptioni adscribi praecepit. cf. *Specim. I. pag.* 17. *sq.* cf. Christ. Frieder. Wolle *de Rationario Imperii Rom. Lips.* 1773.

64) Marcus Antoninus Philosophus orationem de alimentis vel testamento relictis vel codicillis, accuratissime scriptam, quam Senatus Consultum secutum fuisse apparet e *leg.* 23. §. 1. *D. de condictione indeb.*, vel ipse in Senatu recitauit, vel per Quaestorem recitandam curauit. Diligenter eam interpretatus est Vlpianus *Lib. V.* de omnibus tribunalibus, cf. *leg.* 8. *D. de transaction.* At nullus dubito, quin in ista oratione tantum sit sermo de alimentis priuatis, nimirum eorum, quibus e communi ratione et de jure injungi potest alimentaria cura, e. c. parentum, liberorum, cognatorum, dominorum, tutorum, aliorumque. cf. Colerus *de Aliment.* Struv. *l. l.* et Gentilis *de Alim. ad Oration. D. Marci.* Quare etiam Salmasius ad Capitol. *Ant. Phil. Cap.* 11. et alii, verbis: de alimentis publicis, quae vulgaris est lectio, vel addi voluerunt priuatis, vel hoc pro illo reponi. Cui sententiae ea tantum obstare videntur, quae leguntur *leg.* 14. *D. de alimentis vel cibariis:* Mela ait, si puero vel puellae alimenta relinquantur, usque ad pubertatem deberi: sed hoc

Multa hoc loco occurrunt, quae a curiosis in quaestionem queant vocari, e. c. quonam sensu dicantur alimenta, num latiori an strictiori? [65]) quomodo se habeant illa,

verum non est; tam diu enim debebitur, donec testator voluit: aut si non patet, quid sentiat, per totum tempus vitae debebuntur. §. 1. Certe, si usque ad pubertatem (puellis, annum duodecimum, ex Augusti sententia cf. Dio Cass. *Lib. LIV. Cap.* 6.) alimenta relinquantur, si quis exemplum alimentorum, quae dudum pueris et puellis dabantur, velit sequi: (quae legis verba nostrum videntur spectare institutum,) sciat Hadrianum constituisse, vt pueri usque ad decimum octauum, puellae usque ad quartum decimum annum alantur: et hanc formam ab Hadriano datam observandam esse, Imperator noster (Alexander Severus) rescripsit etc. cf. *leg.* 117. *D. de leg. et fideicomm. I.* Si quid relictum sit ciuitatibus, omne valet: siue in distributionem relinquatur, siue in opus, siue in alimenta, vel in eruditionem puerorum, siue quid aliud. Et *leg.* 122. *D. de legat. et fideic. I.* Ciuitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet. — Ad honorem, puta, quod ad munus edendum venationemue, ludos scenicos, ludos Circenses (relictum fuerit,) aut quod ad diuisionem singulorum ciuium, vel epulum, relictum fuerit: hoc amplius, quod in alimenta infirmae aetatis, (puta senioribus, vel pueris puellisque) relictum fuerit, ad honorem ciuitatis pertinere respondetur. cf. *leg.* 89. *D. ad leg. Falcid.* — Quae leges auream, quam vulgo vocant, redolent Jurisprudentiae aetatem. Tacit. *Annal. Lib. XV. Cap.* 20. cf. Rob. Stephan. *Thes. L. L.* voc. *alim.*

65) cf. Gentil. *de Alim. Cap.* 2. Latiori enim sensu alimentorum nomine dicuntur cibus, potus, vestes, calcei, strata, habitatio et alia, cf. *leg.* 8. §. 12. 13. et 25. *C. de transact.* et *leg.* 6. *C. de Alim. et Cibar.* et *leg.* 23. *C. de alim.* Ipsae tamen leges discrimen admittunt inter alimenta, habitationem cet. cf. *leg.* 8. §. 12. *D. de transact.* Qui transigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione, neque de vestiario transegisse: cum Diuus Marcus specialiter etiam de istis transigi voluerit. cf. §. 18.

si contuleris cum pecunia, eorum loco erogata? [66]) num domi apud parentes pueri atque puellae acceperint ali-

66) cf. Beckmann *Beyträge zur Geschichte der Erfind. Tom. V. pag.* 400 *sqq. Es ist kaum der Mühe werth, solche Summen auf unsere Münzen zu reduciren. Denn wenn man auch zur Noth ausmachen kann, wie viel Gulden oder Thaler das in* 1,044,000. *Sesterzien enthaltene Silber jetzt ausmachen würde, so entscheidet doch dieser innere Werth wenig, weil man keinen Maasstab hat, wornach sich der relative Werth bestimmen läſst; ich will sagen, man weiſs nicht, wie Silber und Kupfer sich in jenen Zeiten zu den damaligen Preiſsen der Bedürfnisse verhalten haben.* cf. Hegewisch *Schleswig Holst. Blätter für Policey und Kultur* 1799. *VII. pag.* 172. Summa pecuniae, a Trajano pro pueris atque puellis alimentariis Velejat. in foenore positae, est deciens quadraginta quatuor millia H. S. pro ratione supra *Not.* 59. allata, aequant 49843 Rthlr. 18 gr. — pf. — Annuae sortis usurae, quincunces (5. per centum) efficiunt quinquaginta duo millia et ducentos H. S. = 2492 Rthlr. 4 gr. 6 pf. Accipiebant autem:

1) pueri legitimi ducenti quadraginta quinque, singuli in singulos menses sedecim H. S. = 18 gr. 4 pf. in annum CXCII H. S. = 9 Rthlr. 4 gr. — pf. omnes in annum XLVII. XL. H. S. = 2245 Rthlr. 20 gr. — pf.

2) puellae legitimae triginta quatuor, singulae in singulos menses duodecim H. S. = 13 gr. 9 pf. in annum CXLIV. H. S. = 6 Rthlr. 21 gr. — omnes in annum DCCCXCVI. H. S. = 253 Rthlr. 18 gr. — pf.

3) spurius unus in annum centum quadraginta quatuor H. S. = 6 Rthlr. 21 gr. — pf.

4) spuria una in annum centum et viginti H. S. = 5 Rthlr. 17 gr. 6 pf.

cf. Murator. *l. l. pag.* 31. *sqq.* — Wolfius V. C. *l. l. pag.* 21. recentiorum temporum exemplis studet probare, erogatam in alimenta puerorum et puellarum pecuniam suffecisse. Quibus addi possunt, quae de instituto Regiae Friderici IV. Daniae Regis Filiae enarrata leguntur in *Neue Theologische Annalen. Marburg. Jul.* 1807. *pag.* 599. *sq.* De incredibili annonae vilitate tum temporis, Romae et per Italiam cf. Boecklerus *l. l. pag.* 531. Ex lege Gracchi cf. Cic. *pro Sext. Cap.* 25. et *Liv. Epit. LX.* modius frumenti dabatur plebi Semisse et Triente. Quodsi cuique accipienti in sin-

menta, an publico aliquo in loco? [67]) quousque porro sint

gulos menses dabantur quinque modii, ad illam Gracchi aestimationem, vel simili saltem pretio, facile apparet, a Trajano pueris atque puellis satis delegatum fuisse pecuniae ad alimenta. cf. Murator. *l. l. pag.* 36. *sq.*

67) cf. Murator. *l. l. pag.* 36. *Oltre di che, quei che si chiamarono Fanciullj Alimentarj a' tempi di Trajano, erano nudriti in casa de i lor Genitori, come apparisce dall' Iscrizione di Gaio Alfio sopra riferita, posta da essi CONSENSV PARENTVM.* (cf. *Not.* 53.) Num publica alendis alimentariis constituta exstiterint aedificia, incerta magis conjectura, quam certis probari potest argumentis, cum altum hujus rei sit silentium apud historiae illorum temporum scriptores. E duobus lapidibus Praeneste repertis, quorum alterum reperies *Specim. I. p.* 15. alterum, corrosum, infra leges subjectum, Suaresius et qui eum sequitur Vulpius, concludere voluerunt, commemoratam ibi Scholam Faustinianam, in usum Puellarum Faustinianarum fuisse institutam. Sed cum Scholae ratio apud antiquos tam late pateat, vt non solum loca studiis liberalibus consecrata ita dicantur, sed hoc nomine quoque veniant templorum quaedam, porticuum, balneorumque stationes, cf. Plin. *H. N. Lib. XXXV.* 10. Vitruv. *V.* 10. domus adeo ac collegia Quaestorum, Capulatorum (cf. Pancirolli *Descript. Vrbis Rom. pag.* 334. in Graev. *Thes. ant. Rom. Tom. III.*) aliorumque; valde dubito, an illi, quid sit verum, recte viderint. Vulpius quidem *Vet. Lat. Prof. Tom. IX. pag.* 155 et 158. hanc Scholam aperte dicit domum puellis Alimentariis a Faustina congregatis, educandis propriam, in ejusque vicinia, in Serapio scil. instructam fuisse contendit bibliothecam publicam, ac denique pergit: Ibi, quemadmodum in aliis hujusmodi domibus, bonis artibus informabantur puellae; non iis tantum, quae propriae mulierum sunt, nendi scilicet, texendi, phrygio opere vestes ornandi, suendi atque his persimilibus; verum etiam literis aliquatenus initiabantur; ac praecipue memoriae mandare docebantur statas et conceptas peculiares quasdam preces, carminibus comprehensas, in diuorum honorem; quas publicis in pompis, urbem circumeuntes, ipsisque in templis decantarent. Nisi haec omnia redolent ingenium Vulpii, nescio unde sumserit. Mihi vero temperare non possum, quin huic respondeam, quod olim, morum suae aetatis censor

data? [68]) et hoc genus alia: sed cum plane sint obscura, vt nec inquirendo, nec conjiciendo satis indagari pos-

acutus atque vrbanus, cum Ratisbonae coenobii equestris alumnas commode ac elegantius, quam probas deceret, palam vidisset saltantes, libere professus est: *Ich zweifle sehr, ob die Absichten der Stifter sich so weit auf die Künste und Wissenschaften werden erstreckt haben.* vid. *Des Herrn v. Loën Kleine Schriften. Vol.* 1. *Part.* 3. *pag.* 84. Praeplacent, quae de Scholis annotauit Reinesius *pag.* 485. ad marmor repertum ad Vesuuii radices: Per Scholam intelligi posse Porticum otiosorum deambulationibus et confabulantium stationibus accommodatam. Eadem significatione jacere in CLXIX Class. 5. Scholam cum statuis et imaginibus ornamentisque omnibus sua impensa fecit. Addit ejusmodi scholas in omnibus fere regionibus Romae fuisse; (cf. Marlian. *Vrbis Romae Topogr. Lib. III. Cap. XI.* in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. III. pag.* 116. et Panvinii *Descript. Vrb. R. pag.* 303. *C.* ib.) cur non et Praeneste, in templo Fortunae et nobili et frequentato? Eam autem dictam Scholam Faustinianam in honorem Faustinae cujusdam, conjicimus ex more Trajani temporibus jam usitato, quem testatur Plinius *Lib. X. Ep.* 23. (*al.* 75.) ad Trajanum haec scribens: Ego, si permiseris, cogito in area vacua balineum collocare; eum autem locum, in quo aedificia fuerunt, exhedra et porticibus amplecti, atque tibi consecrare, cujus beneficio elegans opus dignumque nomine tuo fiet. — At numi, hunc liberalitatis morem celebrantes, exhibent omnes typum aedificii, in quo alimenta ab accipientibus petantur. Recte quidem: sed quis justis potest probare argumentis, isto typo non potius significari loca alimentorum distributioni publicae constituta, quam Scholam illam Faustinianam Praeneste exstructam, cum ejusmodi contignationes exhibeantur quoque conspicuae in arcu illo triumphali apud Bellorium 47. (cf. *Not. seq.* et Donatus *de Vrbe Roma* in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. III. pag.* 684. *B.*) cujus imaginem ex parte conspiciendam dedi in fronte hujus libelli. Ceterum, quae a Suaresio et Vulpio putantur nutrices puellis in istis numis appositae, mihi videntur matres, cum paruulis ad alimenta accipienda confluentes. Matres enim paruulos sinu gestantes conspiciuntur quoque in arcu triumphali apud Bellorium 30. et 47. (cf. *Uebrig geblie-*

sint, placuit ea non attingere, sed potius exsequi illa, quae certiora deprehenduntur. Ceterum constat, Impe-

bene Merkzeichen von den römischen Antiquitäten und der Bildhauerkunst der Alten in Basso-relievo von Petro Sancto Bartolo *etc. Nürnberg* 1642. *No.* 18, quae tamen tabula deest in *Admirandis Roman. Antiq. a Vet. Sculpt. Vestig. a* Petr. Sanct. Bartol. *delin. Notis* Joh. P. Bellor. *illustr. Romae* 1693. — Hic silentio praeterire non possum, repertam in palatio Imperatorum Romanorum, antiquam picturam, quae adumbrare videtur Alimentariorum institutum. Vides eam in *Collection de Peintures antiques, qui ornoient les Palais, Thermes, Mausolées, Chambres sepulcrales des Empereurs, Tite Trajan, Adrien et Constantin, et autres édifices etc. à Rome* 1781. *Tab. XVI. et pag.* 7. descriptam et explicatam his verbis: *La difficulté de determiner le véritable sujet de cette peinture fera, que nous nous contenterons de la décrire. Une femme courronnée de fleurs, et le sein découvert tient d'une main un bassin plein de feuilles assez ressemblantes à celles du lierre. Elle soutient de l'autre un petit enfant nu. Devant lui est une autre femme couronnée d'épies, qui secoue une gerbe de plé; l'enfant reçoit les grains qui en tombent. Il se peut, que cet enfant soit Bacchus élevé par les Nymphes. Peut-être aussi s'agit-il de la belle institution de Trajan, qui établit dans l'Italie des Hospices où les enfans étoient nourris et élevés sans être à charge aux parens qui manquoient de moyens pour les rendre utiles à l'Etat.*) — Corrosus ille lapis Praenestinus, in quo commemoratam putat Suaresius scholam Faustinianam, ita se habet:

. . . . S. PVBLICA. EX. DD. IN. HON
. . . . NIFICENTIAE. INTIT. F. PVP
. . . . . . TR. PL. PR. COS. LEG. CONSVLARIS. PROV
. . . . . SIS. EIVS. AC. FRATRIS. FILIIQ. ET. VXORIS
. . . . . TVM. TABVLIS. HOSPVTALIBVS. TRANSFERRI
. . . . . L. ANTE. CVRIAM. VEL. IN. PORTICIBVS. FORI
. . . . CAVERAT. SCHOLAM. HANC. DICAVIT

qui lapis adeo fauere videtur sententiae de scholis supra allatae. — Sed audiendus quoque est Harduinus, qui in *Operibus Selectis pag.* 770. b.

ratores non publicis adjuuasse pecuniis pauperum liberos, sed alimenta de suo dedisse. [62]) Quem morem ipse secu-

numum, quem Vulpius dicit Scholae Praenestinae, commemorans addit haec: Instituisse aedem Faustina hoc anno dicitur, (a quonam? reticet; annum autem intelligit vel a. u. 899. p. Ch. n. 146. vel insequentem, quo illam decessisse credit,) in qua suo sumtu puellas aleret. Et *pag.* 771. ad numos, — quorum vnus ex altera parte habet caput Faustinae senioris cum verbis DIVA FAVSTINA, ex altera Basilicam et verba AED. DIV. FAVSTINAE: alter exhibet verba DEDICATIO AEDIS, — ita commentatus est: Aedes illa intelligenda est, de qua dictum est proxime: siue templum fortassis, cum adjecta domo. Miror hos numos ab Harduino non fuisse explicatos e Capitol. *Anton. P. Cap.* 6. qui enarrat: Tertio anno imperii (notauit Harduinus X. Pii,) sui Faustinam uxorem perdidit: quae a Senatu consecrata est, delatis Circensibus atque templo et flaminicis et statuis aureis atque argenteis. Sed arguit idem Harduinus Capitolinum mendacii, *pag.* 786. *a*, e numis, quos ibi affert, alterum nempe inscriptum ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ϹΕΒΑϹΤΗ, caput Faustinae Marci. L. ΙΘ. *Anno XIX.* caput Serapidis; alterum: eadem inscriptio. L. ΙΘ. Ara. Hi numi, inquiens, fabulas Capitolini refellunt de morte Faustinae: vbi quot verba, tot mendacia sunt. Respicit nempe locum in *Vita* Antonini Philos. *Cap.* 26. Faustinam uxorem suam in radicibus montis Tauri, in vico Halale exanimatam subito morbo amisit. Petiit a Senatu, vt Honores Faustinae aedemque decernerent, laudata eadem, cum tamen impudicitiae fama grauiter laborasset, quae Antoninus vel nesciuit, vel dissimulauit. Nouas puellas Faustinianas instituit in honorem vxoris mortuae. Diuam etiam Faustinam a Senatu apellatam gratulatus est, quam secum et in aestiuis habuerat, vt Matrem Castrorum (cf. Fridr. Heisingeri *Epistola de titulo matris castrorum, Jenae* 1764. et Rasche *Tom. III. Part.* 1. *p.* 365.) appellaret. Fecit et coloniam vicum, in quo obiit Faustina, et aedem illi exstruxit etc. Quodsi in definiendo anno mortis Faustinae junioris sequi velimus numum illum, qui habet annum XIX. Antonini scilicet, qui est a. u. 932. p. Ch. n. 179. fides non habenda erit com-

tus est Constantinus Magnus, ab Eusebio ob eximiam in

muni rationi, quae Faustinam juniorem mortuam innuit a. u. 928. p. Ch. n. 175. Vituperant quidem in Capitolino congerendi, non digerendi voluntatem, ordinemque neglectum et violatam orationis castitatem, Vossius, Funcius, alii; eum autem narrando discessisse a vero, praeter Harduinum, qui dixerit, neminem noui. Quare nullus dubito, quin hujus criminationibus opponam idem, quod Bonifacius Sigonio de Capitolino inique judicanti: sed profecto nimis ille est iniquus, qui pro gratia, quam scriptori de nobis optime merito debemus, reddit objurgationem. Cusum equidem arbitror numum illum anno XIX. Antonini, sed Faustinam prius mortuam.

68) cf. Murator. *l. l. pag.* 23. *Di qual' anno poi della loro età comminicassero essi a godeme, non è assai chiaro. Ab infantia sembra indicarsi da Plinio giovane. Quello, che si può ben dire con sicurezza, si è, che non altre al diciottesimo anno quei Giovani erano alimentati.* Quod probat *leg.* 14. *D. de aliment. vel cibar.* supra *Not.* 64. allata; tum pergit: *La ragione di questa tassa fu, perchè le Fanciulle giunte all' età di quattordici anni, poteano trovar Marito; e i Fanciulli arrivati all' anno diciottesimo, poteano arolarsi nella Milizia.* etc. — E duobus lapidibus, quos habet Fabrett. *ad Column. Traj. pag.* 36. patet, pueros frumenta jam ante quartum aetatis annum accepisse:

D. M.
C. SERGIVS. C. F. ALCIMVS
VIXIT. ANN. III. MENSIB. III
DIEBVS. III
FRVMENTVM. ACCEPIT
DIE. X OSTIO. XXXIX
SERGIVS. ALCIMVS. F. SVO

D. M.
C. VIBIVS. C. F. CELER.
VIX. ANN. IIII. MENSIB. XI
FRVM. AC. D. VII. OSTIO. XV
VIBIVS. CELER. F. SVO

Quibus ex inscriptionibus una apparet, statis diebus et ostiis, ad confusionem vitandam, vt Fabretti vtar verbis, alimenta pueris fuisse

egenos munificentiam valde laudatus, [70]) qui alimenta in-

data. His ostiis atque diebus statis certos fuisse praepositos Curatores, idem Fabrettus docet ex inscriptione apud Gruter. *pag. CLXXIII.* 1.

TI. CLAVDIVS. AVG. LIB
IANVARIVS. CVRATOR
DE. MINVCIA. DIE. XIIII
OSTIO. XLII. ⊘ ET
AVONIA. TYCHE. VXOR. EIVS
PITVANIANI. SOLARIA. DE. SVA
IMPESA. (sic) FECERVNT.

Addit Fabrettus *pag.* 35. Silet Contarenus de loco ad frumentarias ejusmodi largitiones destinato: at nos in iis porticibus id factum putamus, qui a L. Minucio Augurino nomen acceperunt, vnde Minuciae seu Mimitiae frumentariae (cf. Not. 48.) nuncupatio temporibus Rufi et Victoris adhuc perdurabat. Sed Fabrettus sibi non constat, nam *Inscriptt. pag.* 234. *sqq.* dicit: ostia sunt publici alicujus aedificii, puta Amphitheatri, cujus enumerata sunt ostia. Ostium autem, monente Seruio ad Virgil. *Aen. VI.* 43. est, per quod ab aliquo arcemur ingressu. Quare fornices, camaras in porticibus intelligo, ad quas quidem accedere, longius autem progredi non licebat cf. Serv. *ad Virgil. Aen.* 1. 404. et Sagittarius *de Januis Veter.* in Graev. *Thes. ant. rom. Tom. VI. pag.* 423. Isidorus ostium dictum vult, quod ostendit aliquid intus. -- Aliam Inscriptionem huc pertinentem habet Fabrettus *pag.* 235. *no.* 619.

D. M.
Q. TERENTI. PRISCIANI
VIXIT. ANNIS IIII. MEN
SIBVS. VII. FRVMENTVM
PVBLICVM. ACCEPIT. MEN
SIBVS. VIIII.
TERENTIA. SABINA
ALVMNO. FECIT

cf. *pag.* 349. Lips. *Ep.* 8. *Cent.* 1. Alumnos putat, qui a parentibus inhumaniter abjecti ferisque et auibus expositi a praetereuntibus tralatitia humanitate sublati atque educati reperiebantur. Qua de re consulendus est

fantibus e fisco promissa, sanciuit legibus, [71]) quas alioquin saluberrimas et optimas, vel ob neglectam pauperum

Plinius, qui *Lib. X. Ep.* 74. (71.) de conditione et alimentis eorum, quos vocant θρεπτὰς quaestionem defert ad Imperatorem. — Puerum usque ad annum aetatis decimum quintum admissum ad alimenta intelligimus e Fabrett. *Inscr. pag.* 189.

QVINTVM. ANNVM. ET. DECIMVM
NARCISSVS. FLORE. IVVENTAE
HOC. IACET. ABREPTVS
CONDITVS. IN. TVMVLO
QVISQVIS. ADES. LECTOR
FATVM. MISERABILE. CERNIS
PARCAE. NAM. IMPVBEM. QVEM
RAPVERE. MIHI
MATER. CARA. SOROR
QVAE. FRATREM. LVGET
ADEMTVM
MATER. HABET. NATVM
FLORVM. LVX. CANDIDA
TORQVET
HIC. SEPTIMVM. DECIMVM
FRVMENTVM. PVBLICVM
ACCEPIT
SEXTVM DECIMVM

Ex inscriptionibus priori loco positis patet h. l. omissas esse voces DIEM et OSTIVM.

69) Trajanum de suo liberalem laudat Plinius. *Paneg. Cap.* 26. Crescerent de tuo, qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent. Recte, Caesar, quod spem Romani nominis sumtibus tuis suscipis. Et *Cap.* 27. Quo circa nihil magis in tua tota liberalitate laudauerim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo, neque a te liberi ciuium, vt ferarum catuli, sanguine et caedibus nutriuntur; quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, quod ne-

curam, vel, quod verius, ob salutem egenis in republica

mini est ereptum, locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum principem tantum. etc. cf. Murator. *l. l. pag.* 26. *Leg.* 8. §. 19. *D. de transact.* Transactiones — si a fisco petantur alimenta etc. Attamen lectu digna sunt, quae hac de re annotauit Wolfius *V. C. l. l. pag.* 19. Sub Imperatoribus enim Fiscus dicta est pecunia et patrimonium Principis, sicut Aerarium reipublicae. Seneca *de benef. VII.* 6. Caesar omnia habet; fiscus ejus, priuata tantum ac sua.

70) cf. Euseb. *Vit. Constant. M. Lib.* 1. *Cap.* 43. παντοίας τε χρημάτων διαδόσεις τοῖς ἰδίοις ποιούμενος. τούτων δ' ἐκτὸς καὶ τοῖς ἔξωθεν αὐτῷ προσιοῦσι φιλάνθρωπον καὶ εὐεργετικὸν παρεῖχεν ἑαυτὸν, τοῖς μὲν ἐπ' ἀγορᾶς μεταιτοῦσιν οἰκτροῖς τισι καὶ ἀπεῤῥιμμένοις, οὐ χρημάτων μόνον οὐδέ γε τῆς ἀναγκαίας τροφῆς, ἀλλὰ καὶ σκέπης, εὐσχήμονος τοῦ σώματος προὐνόει. κ. τ. λ. cf. *Lib. III. Cap.* 44. et *Lib. IV. Cap* 1. 2. et inprimis *Cap.* 28. ταῖς δ' ἐκκλησίαις τοῦ Θεοῦ καθ' ὑπεροχὴν ἐξαίρετον, πλεῖσθ' ὅσα, παρεῖχεν, ὧδε μὲν ἀγροὺς, ἀλλαχόθι δὲ σιτοδοσίας, ἐπὶ χορηγίᾳ πενήτων ἀνδρῶν, παίδων δ' ὀρφανῶν καὶ γυναικῶν οἰκτρῶν δωρούμενος.

71) cf. *Cod. Theod. Lib.* 2. *Tit.* 27. de alimentis, quae inopes parentes de publico petere debent, binae Constantini Augusti leges leguntur, quarum prima Italiae gratia p. Ch. n. 315. lata: Tabulis, scripta per omnes ciuitates Italiae proponatur lex, quae parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius Officiumque tuum haec cura perstringat, vt si quis parens adferat sobolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in veste, impertienda tardetur, quum educatio nascentis infantiae, moras ferre non possit: ad quam rem et fiscum nostrum et rem priuatam indiscreta jussimus praebere obsequia. Altera Africae causa data p. Ch. n. 322. Prouinciales egestate victus et alimoniae inopia laborantes, liberos suos vendere vel oppignerare cognouimus; quisquis igitur hujusmodi reperietur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos aegre ac difficile sustentet, per fiscum nostrum, antequam fiat calamitati obnoxius, adjuuetur: ita, vt proconsules, praesidesque et

Christianorum alio modo partam, [72]) omissas in Codice Justinianeo dolemus. Num Orphanotrophia [73]) in locum

rationales per uniuersam Africam habeant potestatem et vniuersis, quos aduerterint, in egestate miserabili constitutos, stipem necessariam largiantur: atque ex horreis substantiam protinus tribuant competentem: abhorret enim nostris moribus, vt quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. cf. Leyser. *Med. ad Pandect. Vol. V. et VI. pag.* 404. *sqq.* Godofredus harum legum suasorem suspicatur Lactantium, Crispi praeceptorem inde ab anno p. Ch. n. 317. cf. Lactant. *Instit. Lib. VI. Cap.* 20.

72) cf. Euseb. *Vit. Const. M. Lib. IV. C.* 28. διαφερόντως δ' ἠξίου τιμῆς πλείονος, τοὺς τὸν σφῶν βίον τῇ κατὰ Θεὸν ἀναθέντας φιλοσοφίᾳ, τὸν ἐν πανάγιον τῶν ἀειπαρθένων τῷ Θεῷ χορὸν, μονονουχὶ καὶ σέβων διετέλει. ταῖς τῶν τοιῶνδε ψυχαῖς, ἔνοικον αὐτὸν ὑπάρχειν ᾧ καθιέρωσαν ἑαυτὰς Θεὸν πειθόμενος. cf. Necephor. *H. E. Lib. X. Cap.* 5. Κωνσταντῖνος γὰρ, ἡνίκα τὰ κατὰ τὰς ἐκκλησίας ἐνομοθέτει, ἐκ τῶν ἑκάστης πόλεως φέρων τὰ διαρκῆ πρὸς τὴν τῶν ἐπιτηδείων ζωάρκειαν, πᾶσι τοῖς κλήροις ἐδίδου. καὶ νόμῳ τὴν πρᾶξιν ἐκύρου. καὶ νῦν ἐς δεῦρο τηρεῖται καλῶς φυλαττόμενος. Posteriorum temporum Imperatores clari quoque sunt ob liberalitatem in literarum studiosos, e. c. Bardas, cf. Zonar. *Annal. Lib. XVI. Cap.* 4. maxime Alexius Comnenus cf. Zonar. *Annal. Lib. XVIII. Cap.* 26. οὗτος ὁ βασιλεὺς, τῶν ὀρφανοτροφείῳ ἐσχολακότος, ἀλλὰ μὴν καὶ ἄλλων γηροκομείων πολλῶν. τὰς πάντων κτήσεις τῷ Ὀρφανοτροφείῳ προσνείμας, καὶ αὐτὸς ἑτέρας προσαφορίσας, ἀνεκαίνισέ τε αὐτὸ, κ. τ. λ. — πρὸς δὲ τοῖς διδασκαλεῖον γραμματικῶν, ἵν' ἐν αὐτῷ διδάσκοιντο παῖδες ὀρφανοὶ ἢ γονέων ἀπόρων, διδασκάλους ἐντάξας αὐτῷ καὶ παιδαγωγοὺς, καὶ σιτήσεις ἀποτάξας τοῖς διδάσκουσί τε καὶ τοῖς μανθάνουσι. καὶ τὰ μὲν οὕτως ἔχει καὶ μέχρι τοῦ δε διατετήρηται. Eodem nomine jam laudatur Alexander Severus a Lamprid. *Cap.* 44. Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Aruspicibus, Mathematicis, Architectis salaria instituit et auditoria decreuit et discipulos cum annonis pauperum filios modo ingenuos dari jussit. Similem curam cepisse Augustum in regum filios et aliorum, enarrat Sueton. *Aug. Cap.* 48. Plurimorum liberos et educauit simul cum suis et instituit.

73) Orphanotrophia primum commemorantur *leg.* 19. *C. de sacrosanctis eccles.* cf. *leg.* 23. *C. de sacr. ecc. Nouell. Coll.* 8. *Tit.* 12. *Cap.*

hujus instituti successerint, non satis liquet; ignoratur enim eorum ortus atque occasio: id tamen pro comperto habemus, Orphanotrophum [74]) in Aula Principum By-

1. et *Coll.* 9. *Tit.* 3. *Cap.* 1. — *leg.* 42. *C. de Episcopis et Clericis.* §. 6. et *leg.* 46. §. 1. Legitur quoque voc. ὀρφανοτροφεῖον apud Balsamonem *in Can.* 8. *Concil. Chalced. pag.* 332. Xenodochiorum inuentorem Hircanum Judaeorum Principem facit Hegesippus *de bello Jud. Lib.* 1. *Cap.* 1. *pag.* 8. *ed.* Gualther. Repulit Hircanus auro, quem (Antiochum Hierosolyma obsidentem) ferro nequibat, reseratoque (vt Josephus auctor est, — cf. Joseph. *de Bello Jud. Lib.* 1. *Cap.* 2. §. 5. *ed.* Havercamp. et *Antiquit. Jud. Lib.* 13. *Cap.* 8. §. 4. —) David sepulchro, tria millia auri talenta (decem et octo tonnas auri, Gualther.) eruit; ex quibus trecenta annumerauit Antiocho, vt obsidionem relinqueret, et pretio emtus abiret. Atque vt facti inuidiam leuaret, fertur ea pecunia Hyrcanus instituisse primus Xenodochia, quibus aduentum susciperet pauperum peregrinorum. — Josephus *de Bello Jud. Lib.* 1. *Cap.* 2. §. 5. ait: καὶ δὴ καὶ ξενοτροφεῖν πρῶτος Ἰουδαίων ἐκ τῆς περιουσίας ἤρξατο. Quae verba Spanhemius ad h. l. intelligit de milite externo. Idem Josephus *Antiqu. Jud. Lib.* 13. *Cap.* 8. §. 4. ὁρμώμενος δὲ ὑπὸ τούτων πρῶτος Ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο. *Lege* 35. *C. de Episc. et Cler.* commemoratur Zoticus, qui primus hujusmodi pietatis officium inuenisse dicitur. Primus nempe fuit Orphanotrophii Constantinopolitani Orphanotrophus, cui non multo post Nicon successit. cf. Godofred. *ad. h. l. Cod.*

74) Orphanotrophus, qui parentibus atque substantiis destitutos minores sustentat et educat, veluti affectione paterna, aut quasi tutor pupillorum et curator adolescentium. cf. *leg.* 32. *C. de Episcop. et Cler.* — *Novell.* 1. *Cap.* 15. Dignitas Orphanotrophi in aula Byzantina adeo magna fuit, vt Joannes Michaelis IV. Paphlagonis frater, initio Seculi XI. ea ornatus legatur apud Zonaram *Annal. XVII.* 15. Rebus autem in pejus labentibus, desiit illa dignitas, teste Codino, scriptore Seculi XV. apud Suicerum *Thesaur. Eccles.* v. ὀρφανοτρόφος: ὀρφανοτρόφος ἦν μὲν φροντίζων καὶ ἐπι-

zantinorum tanta fuisse dignitate, quanta olim fuerit Romae Praefectus ad alimenta.

μελόμενος πάλαι τῶν ὀρφανῶν, νῦν δὲ οὐδαμῶς κέκτηταί τινα ὑπηρεσίαν. Quae eadem verba leguntur apud Codinum *de Officiis Magnae Ecclesiae et Aulae Constantinopolitanae cura et opera* Jacobi Goar. *Venet.* 1729. *pag.* 59. *LXXVI.* cf. *pag.* 48. *LIX. pag.* 37. *D.* et *pag.* 17. *LVI.* cf. *pag.* 29. 56. — cf. Meursii *Glossar. Graeco-Barbar.* voce ὀρφανοτρόφος, *pag.* 388.



ALIMENTA ITALIAE

FOEMINARVM FOECVNDITATI GENITORVMQVE SPEI CONSVLVIT PVBLICVS PARENS PER VNIVERSAM ITALIAM PVERIS PVELLISQVE VLPIIS ALIMENTARIIS INSTITVTIS.

In Arcu Constantini — e Bellor. *Arc. Aug.* 30.

QVAESTIO ANTIQVARIA

DE

PVERIS ET PVELLIS ALIMENTARIIS

SPECIMEN TERTIVM

EDIDIT

CHRISTIANVS HENRICVS PAVFLER

CVM FIGVRIS AERE INCISIS

DRESDAE MDCCCXI

SVMTIBVS G. F. WALTHERI BIBLIOPOLAE REGII



ALIMENTA ITALIAE

FOEMINARVM FOECVNDITATI GENITORVMQVE SPEI CONSVLVIT PVBLICVS PARENS PER VNIVERSAM ITALIAM PVERIS PVELLISQVE VLPIIS ALIMENTARIIS INSTITVTIS.

In Arcu Constantini e Bellor. *Arc. Aug.* 30.

QVAESTIO ANTIQVARIA

DE

PVERIS ET PVELLIS ALIMENTARIIS

SPECIMEN TERTIVM

EDIDIT

CHRISTIANVS HENRICVS PAVFLER

CVM FIGVRIS AERE INCISIS

DRESDAE MDCCCXI

SVMTIBVS G. F. WALTHERI BIBLIOPOLAE REGII

Quamquam homini propria est veri inquisitio atque inuestigatio, maximaque ingenii vis atque efficacia in eruenda veritate, multi tamen, vel ignauia atque desidia oppressi, vel occaecati libidine atque cupiditate, ita gaudent opinionum erroribus, fraude atque mendacio, vt, quid veritati sit congruum, quidue relinquendum errori, plane non videant. Vulgus nempe, re quasi iudicata, in causa iam centies perorata, pedibus ire solet in sententiam eorum, quos vel auctoritate vel fama cognoverit inclarescentes, libero iudicio nihil tribuens, dummodo cupiditati satisfaciat, et hac ratione obtegat suam suffragandi infirmitatem. [1])

Verum si viderint illi, quorum partes hi sequi solent, probum quidem est ac salutare. Veritas enim a plurimis comprobata, licet non verior existat, operatur tamen efficacior: vbi vero errorum plena sunt omnia, quis sanus sperabit homines assentiendo intelligentiores; eos potissimum, qui ipsi caecutientes, quoscunque oculorum lumine non ex sua re vti animaduertunt, visu carere opinantur?

Est haec peruulgaris hominum consuetudo, vt, etiamsi non semper inuideant aliorum rationi, eam tamen, a

1.) Hinc recte cecinit Horatius *Lib. II. Epist. I. 63.*

Interdum vulgus rectum videt; est vbi peccat.

sua alienam, vituperent et calumnientur. Et cum nihil sit ab omni parte beatum; nihil, quod possit ferre omnium plausum: alius nonnullis peccare videtur, quod nihil peccet; alius, quod cum aliis peccare nolit; alius denique, quod suae rationi faveat. Neque enim omnes ferre possunt, si quis sibi tantum ac Musis canit, vel suo fretus ingenio, aliorum nunquam vult vti consilio atque indicio. Sunt enim, qui nihil bonum, nihil rectum ac iustum putent, quod quis suo instituto arbitratuue perfecerit, qui potius omnia aliquo quasi duce praevio peracta cupiant. Quod nempe summorum virorum exemplo fit, [a]) id legibus, etiam iure factum, plerumque putant homines nullius exempli atque iuris. Multi se crebris licentiosissimisque excursionibus clamant suspendi, si qui sunt, qui scribentes nihil putant esse tam vulgare, quod ad iudicium dirigendum augendamque doctrinam, non suum sibi locum honeste vindicet in erudita disputatione.

His omnibus satisfacere vel in enarranda Alimentariorum ratione, vel in explicandis veterum scriptorum

a.) Qua vero in re, quanta sit adhibenda prudentia, quanta diligentia, ne inconsiderate agamus, vt Horatii *seruum pecus* taceam, satis docet Auctor ille praestantissimus celeberrimi libri: *Reisen in die mittäglichen Provinzen von Frankreich Part. X. pag.* 141. qui dicit: *Gütiger Himmel! in was für eine wilde Wirthschaft kann man nicht gerathen, wenn man der Spur eines berühmten Mannes nachgeht.* Quis me eodem errore saepius deceptum non facile videbit? — At idem ille scriptor elegantissimus l. l. p. 396. liberalissime quoque in se suscepit defensionem consilii, quod secutus sum in clausula huius libelli, vsus verbis Probae Falconiae. Habet igitur haec ratio aliquid excusationis, non illius quidem iustae, sed quae probari posse videatur.

locis, ab aliis ante me aliter intellectis, vix meum esse iudicaui. Nisi enim me omnia fallunt, de iis, qui aut contumaciae sunt suspecti, aut nimis religiose aliorum terentes vestigia, sub non stant iudicio, valet illud Scaligeri: „nos in luce rerum tenui caligamus, in medio„cri caecutimus, in majori caeci sumus, in maxima insa„nimus;" amabilem puto insaniam, a Venusino illo poëta [3]) mirifice laudatam, quae plus videt, quam reuera adest.

Vt autem hi intelligant, me non sine omni viuere exemplo, audiant, quaeso, pro me dicentem, Lilium Gyraldum, cujus egregia hac de re sententia, inserta Epistolae illius ad Renatam, Ludouici XII. Galliae Regis Filiam, digna est, quae legatur.

Ego vero impeditus quodammodo aliorum, vel doctissimorum virorum auctoritate, ne ipse mihi satis crederem, et hac re profecto timidior factus, quam mihi per veritatem liceret, — quo eodem modo plurimos video errare homines, neque omnino stultos, — nolui dissentiendo inquirere verum, sed indulgendo opinioni aliorum et meae, satis commode probare, vbi intellexerim alios aut verum vidisse, aut falsum.

„Quoniam ergo," liceat mihi verbis vti Ciceronis, „totam rem non naeuo aliquo, aut crepundiis, sed cor„pore omni volebam exhibere conspicuam, complexus „sum nonnulla etiam, quae fortasse videantur minus ne„cessaria." Nec verebar esse, qui suo naeuo suisque crepundiis tantum plaudentes, hanc meam rationem mihi

3.) cf. Horat. *Lib. III. Od. IV.* 5.

exprobrarent; perhibentes eam ex triuio quasi petitam ac circumforaneam. [4]) Placet quidem ridendo dicere verum atque delectat; minime vero, hoc qui scripsit praeceptum, iniquum cauillandi suasit studium, [5]) licet ipse interdum laboret vitio, hominibus suae aetatis haud reprobato, quod nonnunquam accidere solet ingeniosissimis quibus-

4.) Sunt, qui ἀλλότρια haec dicant; cur? discere forsitan potes, si non ab Horatio (*Lib. I. Epist. XIX.* 35 *sqq.*) certe a Lichtenberg. (*Vermischte Schriften, Götting.* 1800 *pag.* 240.) Sed cum videmus ejusmodi homines iam a Kästnero (*Vermischte Schriften Part.* 2. *ed. Altenb.* 1772 *pag.* 116.) probe taxatos et quasi ἀπὸ κοινοῦ loco pulsos, non est quod multa loquamur. — Sunt porro, qui amplam et multifariam eruditionem scholarum magistris imprimis laudi ducant. Haec vitrea fama, vt cum Horatio loquar, me nunquam cepit, qui verum decus sola in virtute atque sapientia positum semper iudicaui. Quare etiam non quaero, quam multa ac quanta sint, quae sciam, sed an rectissime sciam ea, quae hominum mores ac vitam vel dirigere vel emendare possint. *Gelehrt seyn*, ait Winckelmann. (*Geschichte der Kunst Part.* 2. *pag.* 20. *edit. nouiss.*) antiquam Graecorum praedicans rationem, *das ist, zu wissen, was andre gewußt haben, wurde spät gesucht: gelehrt, im heutigen Verstande zu seyn, war in ihrer besten Zeit leicht, und weise konnte ein ieder werden. Denn es war eine Eitelkeit weniger in der Welt, nemlich viel Bücher zu kennen.* — Sunt denique, qui nihil doctum et laudabile aestiment, nisi reconditum atque perplexum, quod fugiat vulgares mentes et perspicuitati ac simplicitati verbosis strophis officiat. Quos tamen iure reprehendit Lucretius: (*Lib. I.* 652 *sq.*)

Omnia enim stolidi magis admirantur amantque
Inuersis quae sub verbis latitantia cernunt.

cf. Cicer. *de Orat. Lib. I. Cap.* 12, 51.

5.) Quod potius videtur auersari ac detestari (*Lib. I. Ep. XIX.* 28 *sq.*) his verbis:

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho, —
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinet atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.

que pro veritate amplectentibus lasciuiam atque cupiditatem. [6])

Quae igitur mea est de pueris atque puellis alimentariis sententia, cum incerta ponere pigeret, dicere adhuc non sum ausus: liceat autem, cum arrogantiae suspicione iam satis purgatum me arbitror, mihi nunc meo vti iudicio, atque exponere, quae de Alimentariorum ratione mihi videntur vera. Posita quidem sunt multa hujus studii in diligentia, plurima sane in casu. Omnes enim locos huc facientes, me de industria euoluisse, quis est, qui credat? casu data repertaque assidua lectione diligenter congessi. [7]) Quare, quam nostra ratio postulet cautionem, videant hi, qui soli omnium certe videant plurimum, et quos aequos [8]) indices iam dudum sum expertus. Me enim promittere, rem tam ante latentem, tamque varie intellectam penitus perspexisse, arrogantis esset hominis, atque haud scio, an etiam ineptissimi. In hac autem opinionum nebula sententiarumque disjunctione, cui magis credendum sit, non equidem dubito;

6.) Vere quidem **Cicero** ait: *trahimur omnes laudis studio, et optimus quisque maxime gloria ducitur*; sed praeplacet carmen **Ridelii** ad **Baldingerum**: *Kein weiser Mann verlangt den Beyfall aller*; et prae ceteris illius, a cujus vestigio non discedere praestat: *ὐαὶ ὑμῖν, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι.*

7.) *Lapides et ligna*, ait **Lipsius** (*Not. in Polit. Cap. I.*) *ab aliis accipio, aedificii exstructio et forma tota nostra est. Architectus ego sum, sed materiam varie vndique conduxi. Nec araneorum sane textus ideo melior, quia ex se fila gignunt, nec noster vilior, quia ex alienis libamus, vt apes.*

8.) De quibus accurate scripsit **J. T. Sattler** *Bemerkungen über die neue deutsche Kritik. Wien*, 1774.

non enim ego his de rebus nihil ante sentiebam; sed an rectissime sentirem e doctissimorum hominum indicio statuere volebam, quos modestiae meae velificaturos, mihi habeo persuasum.

Si quid vero praeter spem ab homine aliquo Lynceo animaduersum fuerit, quod quoquo modo vel oscitantiae, vel imprudentiae, vel inscitiae objiciendum proterue censeat, ei quidem cum Plinio lubentes concedimus, plus apud Campanos vnguenti, quam apud ceteros olei fieri, 9) interim tamen nos ipsos oleum et operam omnem prorsus perdidisse, non usque adeo diffidimus.

Praemissa igitur, ad quam nunc venimus, de nominibus ac conditione homini puerorum ac puellarum disquisitione, paucis tandem demonstrabo, quo instituta illa forte spectauerint.

III.

Apud Romanos omnino positum erat in more, vt, quos vlla in re cognouerant praestantes, vel virtute aliqua in hostem validissima, vel beneficio in ciuitatem collato, eos non tantum cum laude nominarent, sed vellent quoque ex iis nominata, quaecunque extabant praeclara ipsorum

9.) cf. Plin. *Hist. Nat. Lib. XVIII. Cap.* 11. His non dubitaui addere verba Morini (*Antiq. Orient. pag.* 169.) qui Suaresio de erroribus quibusdam ac naeuis monenti rescripsit haec: *Naeuos esse non dubito; si nulli notarentur, hoc amicitiae condonarem, diligentiae meae non vindicarem. Verum quicunque illi sunt, summo beneficio me afficies, si horum me admonueris, illos statim cara, vt ajunt, obedientia abstergam, oblitterabo, delebo, auellam. Iudicium enim suum retractare nefas esse existimo, longissimeque absum ab eorum sententia, qui naeuos suos lumina credunt.*

excellentiae atque virtutis monumenta. Hinc factum est, vt tot leges ac vrbes, tot aedificia atque instituta legamus ex nominibus eorum appellata, quorum auctoritate atque consilio vel orta dicuntur, vel reperiuntur conservata. [10])

Quare paruulos istos, quos frumentariae perceptioni adscriptos, nouimus vulgo appellatos fuisse Alimentario-

10.) Rei satis notae qui cupit testimonia atque exempla, is euoluat quaeso Dionem Cassium, qui *Lib. XXXIX.* 38. *LX.* 6. commemorat theatrum a liberto Pompeii exstructum et e Pompeio dictum. *Lib. XL.* 50. col. *XLIV.* 5. Curiam Hostiliam a Fausto Sullae filio nominatam, quae vero in posterum e Iulio Caesare nomen accepit, in cujus honorem mensis quoque, in quem inciderat Caesaris natalis, dictus est Julius, et tribus, sorte ad hoc ipsum delecta, *tribus Iulia*, cf. Dio Cass. *XLIV.* 5. *XLV.* 7. *XLVII.* 19. *LI.* 20. 22. — Aemilius Lepidus Paulus propriis impensis perfecit Porticum Pauli dictam, *Lib. XLIX.* 42. — Augustus Porticus et Bibliothecas a sororis nomine dictas Octavianas exstruxit, cf. Dio Cass. *XLIX.* 43. et Caesar Forum pulchrius Romano, quod ab ipso nomen obtinuit cf. Dio Cass. *XLIII.* 22. Sueton. Caes. 26. Plin. *Histor. Nat. XXXVI.* 15. — Lepidus aedificauit septa, locum in Campo Martio, ad habenda Comitia tributa, porticibus vndique circumductis, quem Agrippa tabulis lapideis et picturis a se exornatum cognominauit ex Augusto Septa Iulia cf. Dio Cass. *LIII.* 23. — De porticu Liviae cf. Dio Cass. *LIV.* 23. — Clodius seruos e Cypro aduectos, Clodios nominare intendit, sed Catone obstante non obtinuit, qui, quod nonnulli instituerant, eos ne Porcios quidem appellari passus est; quare iis Cypriorum cognomen datum, cf. Dio Cass. *XXXIX.* 23. — Collegium Sacerdotum, qui Lupercalia celebrarent, institutum est tertium, et Iulium vocatum, cf. Dio Cass. *XLIV.* 6. — De legibus, quarum nomina in Historia Iuris leguntur, non est, quod moneam. cf. Dio Cass. *XXXVI.* 7. — De vrbibus cf. Spartian. Hadrian. *Cap.* 20. Nomina templis inscripta leguntur apud Dion. Cass. *XXXVII.* 44. 46. *LI.* 22. *LIV.* 23. 24. *LV.* 27. *LVI.* 25. *LVII.* 19. — Ipse Augustus beneficia sua in ciues Romanos collata voluit ex Marcello appellari cf. Dio Cass. *LI.* 21. qui tamen locus ab aliis aliter intelligitur. — De *Augustanis* a Nerone institutis cf. Tacit. *Annal. XIV.* 15. 20. (et 47.)

rum nomine, nomina quoque traxisse vel ab illius beneficii auctore, vel ab iis, in quorum honorem fuerant instituti, non admodum miramur. Leguntur autem in monumentis antiquis praeter Faustinianas puellas et Mammaeanas, Mammaeanosque pueros,[11]) nomina puerorum et puellarum Vlpianorum,[12]) quibus et Antoninianos Antoninianasque[13]) voluit addere Maximi-

11.) cf. *Specim. I. pag.* 18. et *Specim. II. pag.* 23.

12.) cf. Gruter. *MLXXXIV.* 4.

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG
GERM. P. MAX. TRIB
POTEST. COS. IIII. P. P
NOMINE PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P

Recte intelligitur haec inscriptio de pueris et puellis alimentariis; nam apud Spartian. Hadrian. *Cap.* 2. cf. *Cap.* 4. pueri tantum dicuntur, quos tamen, cum Valla, malo ignorari, quam me docente sciri. cf. Dio Cass. *LXVIII.* 7.

13.) cf. Lamprid. Ant. Diadum. *Cap.* 2. *fin.* et *Specim. II. Not.* 62. — Tibure, non procul penes dirutum Abbatiae Sancti Sabbae templum, teste Martio (*Histor. Tiburt. Lib. VII. pag.* 86. in Thes. antiq. Ital. Tom. VIII. Part. IV.) sequentia leguntur:

HELIAE
TRANQVIL. MARCI
FEST. ET. A
MEMOR. ANTONINI
PII. INVICTI. MA
AVO
S. P. Q. TIBVR
IVVENES
ANT

nus. [14]) Nec dubitarunt viri docti his adnumerare Pue-

His Martius addidit haec: *Vocabantur ii Iuuenes Antoniniani, quia Antonini sumtibus alebantur, erudiebantur, aliaque sedula obibant exercitia, vti in altero legitur marmore Vrbini posito, atque a Domino Suaresio relato* (*Praenest. Lib.* 1. *Cap.* 18. 228.) Habes hoc marmor *Specim. I. pag.* 13. *not.* 22. Sed dubito, an vera viderit Martius, cum Suaresii et Vopisci acquiescat indicio, quod auctoritate destitutum supra monuimus.

14.) Hos pueros atque puellas dictos quoque fuisse ab oppido, quod inhabitabant, constat ex inscriptione supra *Specim. I. pag.* 19. allata, quam hoc loco emendatam liceat repetere ex *Indicazione antiquaria per la Villa Albani Part.* 2. *pag.* 90.

IMP. CAESARI
DIVI. ANTONINI. PII
FILIO. DIVI. HADRIANI
NEPOTI DIVI. TRAIANI
PARTHICI. PRONEPOTI
DIVI. NERVAE. ABNEPOTI
M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. P. M
TR. POT. XVI. COS. III. OPTIMO. AT
INDVLGENTISSIMO. PRINCIPI
PVERI. ET. PVELLAE. ALIMENTARII
FICOLENSIVM

Ficolenses, teste Plinio *H. N. Lib. III. Cap.* 12. inhabitabant quartam Italiae regionem. *Ficulea* enim vetus oppidum prope *Corniculum* commemoratur, a Liuio *Lib.* 1. *Cap.* 38. cujus incolae a Dionys. Hal. *I. pag.* 13. dicuntur φικελνσι. Auctore Harduino ad Plin. *l. l.* nunc est Fanum S. Vasile, tribus pass. mill. a Fidenis. Via Ficolensis, antea Nomentana dicta, est apud Liv. *Lib. III.* 52. De lectionis varietate conf. Drakenb. ad utrumque Liuii locum. — Similis ratio videtur quoque obtinuisse in aliis appellationibus, e. c. *Collegium Iuuenum Brixianorum*, quod passim in marmoribus occurrit; de quibus cf. Rubei *Monumenta Brixiana*, *pag.* 38. *sqq.* et *pag.* 196. vbi hoc collegium dicitur Gymnasium s. Academia primariae in vrbe iuuentutis.

ros Curiae, [15]) quos in marmoribus illius aetatis reperimus passim commemoratos.

15.) cf. Antonii van Dale *Dissertt. IX. Antiq. Amst.* 1702. *Diss. I. Cap. XI. pag.* 165. qui dicit: *Hos autem et alio nomine* PVEROS CVRIAE *appellatos fuisse ab aliisque distinctos* PVEROS PLEBEIOS, *docet non obscure nos inscriptio, quae Thes. Grut. pag.* 461. *extat, vbi inter alia habemus:* ITEM. PVER. CVRIAE. INCREMENT. *alimenti scilicet: sicuti paulo inferius* PVER PLEBEIS. SINE. DISTINCTIONE. LIBERTATIS. NVCVM. SPARSION. *etc.* — Plena inscriptio apud Gruter. sic se habet:

A. QVINCTILIO. A. F.
PAL. PRISCO
IIII. VIR. AED. POTEST. IIII. VIR. IVRE
DIC. IIII. VIR. QVINQ. ADLECTO. EX. S. C
PONTIF. PRAEF. FABR
CVIVS. OB. EXIMIAM. MVNIFICENT. QVAM IN. MVNIC
SVOS. CONTVLIT. SENAT. STATVAM. PVBLICE. PONEND. IN. FORO. VBI. IPSE
VELLET. CENSVERE. H. A. I. R. HIC. EX. S. C. FVNDOS. CEPONIAN
ET. ROIANVM. ET. MAMIAN. ET PRATVM. EX. OICO. AB. R. P. REDEM
H — S. LXX. M. N. ETIMAVIT (*sic*) R. P. REDDID. EX. QVOR. REDITV. DR. H — S. IV. M. CC
QVOD ANNIS. VI. ID. MAI. DIE. NATAL. SVO. PERPET. DARETVR. PRAESENT
MVNICIPIB. ET. INCOL. ET. MVLIERIB. NVPTIS. CRVSTVL. P. I. MVLSI. HEMIN
ET. CIRCA. TRICLIN. DECVRIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET. SPORTVL. H — S. X. N
ITEM. PVER. CVRIAE. INCREMENT. ET. VI. VIR. AVG. QVIBVSQ. V. V. E. CRVST
MVLSVM. ET. H — S VIII. N. ET. IN. TRICLIN. MEO. AMPL. IN. SING. H — S. I. N. ET. IN. ORN
STATVAR. ET. IMAG. MEAR. RES. P. PERPET. H — S. XXX. N. IMPEND. ARBITR. IIII. VIR
AEDILIVM. CVRA. FAVORABIL. EST. SI. PVER. PLEBIS. SINE. DISTINCTIONE. LIBER
TATIS. NVCVM. SPARSION. MOD. XXX. ET EX VINI. VRNIS. VI, POTIONVM
EMINISTRATION. DIGNE. INCREMENTIS. PRAESTITERINT.

Celebratur hac inscriptione Quinctilii beneficium in municipes suos collatum, in quo in primis notatu digna videntur haec:

a) Similitudo quaedam huius beneficii cum liberalitate Plinii, supra *Specim. II. pag.* 32. *sqq.* laudata, et aliorum, cf. Gruter. *MC.* 6. et Garuffii *Lucern. lapid. pag.* 3 *et* 10. — Redemit nimirum Quinctilius fundos, aestimatosque (ita enim rescribendum puto pro ETI-

A vero tamen mihi aberrare videntur omnes, qui horum puerorum ac puellarum conditionem credunt ta-

MAVIT) reipublicae reddidit ex quorum reditu quotannis, die suo natali, darentur beneficia municipibus, incolis, mulieribus nuptis etc.

b) Fundos Caponianum, Roianum, Mamianum et Pratum ex Osco aestimavit H — S. $\overline{LXX}$. M. = ad 3000 ℔. Reditus ex iis H — S. $\overline{IV}$. M. CC. = circiter 200 ℔.

c) Numeratam pecuniam acceperunt.

α) *Decuriones*, singuli, vti mihi videtur, H—S. x. = 12 gr. quorum numerum cum ignoramus, dabimus vniuersis - 50 ℔. — gr. — ₰.
Ex lege Rulli *centum decuriones* decreti leguntur apud Cicer. *Agrar. II.* 95. Gualtherus vero *quadrigenarios* colligit ex lapide Melitae reperto. cf. Gualth. *tab. s. inscriptt. ant.* in *Thes. antiq. Sicil. Vol. VII. pag.* 366. *C.*

β) Seviri *Augustales*, quisque eorum H — S. VIII. = 9 gr. omnibus igitur sex, nisi et eorum plures fuerint, 3 ꞉ — ꞉ — ꞉

γ) quisque praesentium municip. incol. et mulier. nupt. H — S. I = 1 gr. 1½ ₰. circiter. — Facile mille homines praesentes esse poterant, qui accipiebant - 50 ꞉ — ꞉ — ꞉

δ) in ornatum statuae etc. data H — S. XXX. = - - 1 ꞉ 12 ꞉ — ꞉

Summa 104 ℔. 12 gr. — ₰.

Quibus deductis ab illis 200 ℔. remanent 95 ℔. 12 gr. summa suffectura ad comparanda crustula, mulsum, nuces, vinum reliquis et incrementa Pueris Curiae danda.

d) De *Decurionibus* cf. Panciroll. *de Magistrat. Municipal. et Corpor. Artif. Genev.* 1623. Eodem ordine leguntur Decuriones, Augustales et Plebs in lapide apud Gualther. *l. l. pag.* 935.

e) *Seviros Augustales* fuisse sacerdotes, non tantum Tacit. *Annal. I.* 54. probat, sed potest etiam intelligi ex notis, quae in nostra inscriptione eorum nomini additae leguntur. Literae enim V. V. E. non e vulgari ratione legendae sunt: *Vestri Visum Erit*, sed indicant dignitatem Augustalium. Sacerdotes enim *Viros Egregios* fuisse appellatos docet Pancirollus *Notit. dign. vtriusq. Imper. pag.* 17. 6. Decuriones, licet

lem, qualis olim fuerit Camillorum et Camillarum, aut eorum, quos patrimos et matrimos antiquitas pie admi-

loco et ordine illos praecederent, non erant *egregii*, gaudebant autem *egregiorum* priuilegiis. De Augustalibus cf. Noris *Dissert. I. Cenotaph. Pisan. Caji et Luc. Caesar. illustr. Cap. VI. pag.* 69 *sqq.* in Thes. Antiq. Ital. Tom. VIII. Part. III. et Nardini *Vej. antiq. Part. II. Cap. III. pag.* 69. *D.* Phaebon. *histor. Marsor. Lib. III. Cap. IV. pag.* 113. et *Cap. VIII. pag.* 208. Pingon. *August. Taur. pag.* 70. *No.* 111.

f) *Pueri Curiae*, cum nominentur Decurionum mentione modo facta, commemorenturque infra *Pueri Plebeii sine distinctione libertatis*, Decurionum esse videntur filii, aut pueri, qui vel nati vel oblati Curiae munera Curialium in posterum subire cogebantur. Ne longior fiam, quam par est, taceo hoc loco, quae de Curia Municipiorum et de Oblatione Curiae (quae scilicet a Theodosio M. instituta, seriorum temporum esse videtur,) a Iurisperitis disputantur. Multa huc pertinentia leguntur *Lib. L. Digestor.* et *Lib. XII. Cod. Theodos.* — Istos *Pueros Curiae* simul fuisse *Pueros Alimentarios* conjicit van Dale ex addita voce INCREMENT. Legitur quidem apud Spartian. Hadrian. *Cap.* 7. *incrementum liberalitatis pueris et puellis, quibus Traianus alimenta detulerat adiectum;* nisi vero me omnia fallunt, hoc *incrementum* non dicitur de alimentis ab Hadriano auctis, sed de *munere* s. *beneficio* quodam peculiari, illis pueris atque puellis, qui alimenta ex voluntate Traiani accipiebant, oblectationis causa, in illud tempus semel dato. Hanc quidem vocis *incrementi* significationem nec eruditorum hominum auctoritate, nec veterum scriptorum testimoniis probare possum, ea tamen huic nostro in primis loco inesse videtur, in quo absolute posita bis leguntur incrementa. Verba enim in fine inscriptionis ita intelligo: *Cura* (pueris plebeiis) *fauorabilis est, si pueris plebeiis, sine distinctione libertatis, micum sparsionem, modios triginta, et ex vini vrnis sex, potionum eministrationem, digne* (i. e. vt decet) *incrementis, praestiterint*, h. e. ex istis sex vrnis tantum vini cuique puerorum plebeiorum largiti sint ad bibendum, quantum satis est, vt beneficium illud renera dici possit ad oblectationem (*digne incrementis*) datum. — Lectionis varietatem a Grutero notatam vanis conjecturis augere nolui. Ceterum ratio grammatica ferre videtur vsum aduerbii

serit ad sacra carminibus decantandis rite concelebranda. [16]) Mihi quidem Alimentariorum instituta spectasse videntur nec sacra, nec ad religionem pertinuisse omnino, cum scriptores hunc morem commemorantes, nihil habeant admixtum, quod vel de ritu sacro nos cogitare cogat, vel de aliquo cultu religionis.

a me notati. Iungi enim solent a Poëtis aduerbia cum substantiuis, more Graecorum, quam rationem Livius adeo et Curtius, nec non Tacitus suam fecerunt. Multa huius rei exempla collegit Iani *Art. poët. lat. pag.* 197. §. 10.

16.) cf. van Dale *l. l.* qui dicit: *Hujusmodi pueros puellasque patrimos ac matrimos potissimum, (si non omnes) fuisse crediderim, persuasus istis apud Vopiscum Aureliani verbis, vbi de inspiciendis libris Sibyllinis loquitur:* patrimis matrimisque pueris carmen indicite; *quod tales pueri puerae-que (sicuti antiquis temporibus* Camilli *ac* Camillae, *quae etiam* patrimi *ac* matrimi *erant) maxime sacris ministrandis (de quibus Aurelianus porro loquitur) adhiberentur.* Leguntur haec apud Vopisc. Aurel. *Cap.* 19. Sermo ibi est de timore ac seditionibus motis Romae, cum Marcomanni circa Mediolanum omnia vastarent. Inspecti sunt Libri Sibyllini et inuentum, vt in certis locis sacrificia fierent, quae Barbari transire non possent. Amurbium celebratum, ambaruualis promissa, atque ita solemnitas, quae iubebatur, expleta est. Sunt autem *patrimi et matrimi pueri*, quibus illo tempore indicta sunt carmina, pueri ad sacra ministrantes, quos et Camillos dictos, e Festo, in voce Flaminius, viri docti probare student. At hos pueros facere Alimentarios, aeque absonum est, ac si quis omnes Dionis locos, in quibus sermo est de pueris atque puellis, huc trahere velit, e. c. Dion. Cass. *Lib. LXIII.* 10 *et* 13. vbi sermo est de pueris a Nerone Roma pulsis; *Lib. LIX.* 28. *LX.* 16. commemorantur iuuenes cantores e Ionia arcessiti, et *Lib. LIX.* 29. chorus cantantium; sicuti *Lib. LXXIV.* 4 *et* 5. Senatores cantantes et *Lib. LXXII.* 13. pueri cum foemina in Circum irrumpentes. — Sic pueri et puellae hymnum canunt in aede Augusto dicata, cf. Dio Cass. *LIX.* 7 *et* 16. cf. Capitol. Ver. *Cap.* 5. et Dio Cass. *LXXVI.* 7.

Quos enim in honorem Augustorum vel Augustarum institutos ferunt Flamines, Sacerdotes atque Sodales,[17]) ab Alimentariorum instituto esse plane alienos, ne-

17.) Quod iam vidit van Dale *l. l.* contra eos, quos Pitiscus in voce Sacerdotes et Zimmermann. in voce Consecrati, sunt secuti. Nam verba Viri illius doctissimi sunt haec: *Non reperio tamen, hos hasue* Alimentarias Faustinianas, *sacerdotes Faustinae fuisse: quod tamen asserit magnus ille literatorum princeps* Ezechiel Spanhemius, *dum* Antoninum *eo prouectum adulatione in mortuam uxorem dicit pag.* 209. *a.* de luy ordonner neuf Pretresses, appellées de son nom Puellae Faustinianae, *nisi* nouem *pro* nonas *legerit apud Capitolinum; quod tamen illos non facit Sacerdotes. At paucis interiectis ille demum de aede Faustinae loquitur, non tamen Romae exstructa. Foeminas sacerdotes tamen et Romae fuisse Faustinae, illisque, sicut et Flaminicis, has Faustinianas inseruiisse circa sacra facienda, crediderim plane.* Ego vero id nego, causis, puto, nec ineptis nec iniustis, supra allatis. — Ex illa autem opinione: *hos nempe pueros hasque puellas sacris faciundis inseruiisse*, natus mihi visus est error eorum, qui Faustinianas esse voluerunt istas puellas, quas, meo quidem iudicio, recte pompam sacerdotalem legimus in illo libello, italico sermone conscripto atque inscripto: *Indicazione antiquaria per la Villa Albani n.* 568. *Rom.* 1785. *pag.* 60. vbi haec: *Sulla porte Due Bassirilievi di simil maniera, già forse un sol fregio: rappresentano una Pompa con due Sacerdotesse ed una fanciulla, tutte tre velate, altre buon numero d'uomini e di donne in comitiua.* Omnes esse videntur mulieres in tabula a Zoega exhibita, cf. *Specim. I. pag.* 16. *infra.* — Pergit van Dale *l. l. pag.* 166. *Faustinas namque Sacerdotes reperimus apud iam toties allatum Gruterum pag.* 321. 5. *Sic et eadem pagina Plotinae Sacerdotem habemus, quin et nb.* 2. *Flaminicam Plotinae.* (cf. Garuffii *l. l. pag.* 4. 6.) *Sic quoque Sacerdotes ibidem Diuae Martianae ac pag.* 1088. 11. *Faustinae simul ac Matidiae. Nullas tamen reperimus Puellas Plotinianas aut Marcianas: quamuis ipsarum sacerdotes ac Flaminicas inueniamus. Quod licet ita esset, non inde sequeretur Puellas istas siue Faustinianas, sive Mammaeanas, siue et Plotinianas aut Mareianas Sacerdotes istarum Diuarum fuisse.* Haec van Dale. Ceterum nouimus e Dione *XLI.* 6. Pompeio primum fuisse sacrificatum. Tum Caesar factus est nouus Deus, cf. Dio Cass. *XLIV.* 51. *XLVI.* 7. *XLVII.*

mo non videbit, qui, quae certa et indubitata hunc morem adumbrant monumenta, paulo diligentius perspexerit. In iis enim siue numis, siue marmoribus, exornatis imaginibus sculptis, pueri quidem cernuntur atque puellae, beneficia accipientes, iidem vero conspiciuntur nec ad sacra ministrantes, nec vlli religionis cultui inservientes. [18]) Quae ratio si obtinuisset, eam haberemus expressam ab illorum temporum artificibus, quos in referendis rerum signis, cum res adeo sub oculos minime cadentes pictores solerent adumbrare coloribus, [19]) deprehendimus haud negligentes. Quare et eorum displicet studium, qui pueros alimentarios solent componere cum Parasitis Apollinis et Herculis apud Athenienses, et cum Epulonibus Romanorum. [20])

Alia, a vero autem non minus aliena esse videtur sententia eorum, qui hos pueros alimentarios alimentarias-

18. 19. Sequentes deinde Augusti simili honore condecorati, ipsa Liuia pro Dea culta, cf. Dio Cass. *LX.* 5. Flamines, Sacerdotes atque Sodales Augustorum commemorantur a Spartian. *Hadrian.* Cap 27. Capitol. *Anton. P.* *Cap.* 5. 6. 13. Capitol. *Anton. Phil. Cap.* 7. 15. 18. Lamprid. *Alexand. Sever. Cap.* 63. Tacit. *Annal. I.* 54. *Ej. Histor. XI.* 95. 3. cf. Varro *de ling. lat. IV.* 15. Sueton. *Claud. Cap.* 6. *Galb. Cap.* 8. Gruter. *Inscript.* ccccix. 5. Panvin. *de ciuit. Rom. Cap.* 27. Capitol. *Pertin. Cap.* 15. Spartian. *Seuer. Cap.* 7. cf. Casaubon. *ad l. l.* Capitol.

18.) cf. Numi ad frontem *Specim. I.* dati, et quae huic Specim. addita conspicitur Traiani Largitio.

19.) cf. Winckelmann. *Opera, Dresd.* 1808. *Part.* 2. *pag.* 592. et quae hac de re diligentissime obseruauit Böttiger V. C. *Aldobrand. Hochz. p.* 110. ***.)

20.) cf. van Dale *l. l. pag.* 164. Licet addat: *quamuis autem ad propositum nostrum id nihil faciat, tamen occasione hac data aliquid de Alumnis* (scribere debuisset *Alimentariis*) *Faustinae adiiciendum iam praecedentibus puto: quod ista non usque adeo vulgaria sint.*

que puellas faciunt vel uno, vel vtroque parente orbatos, in aedibus orbitati aptatis publice educandos.[21]) Ex marmoribus enim antiquis cum Alimentariorum parentes intelligamus tum temporis adhuc in vivis,[22]) istam opinionem minime probare possumus. Hinc etiam, quam Vulpius cum Suaresio et aliis sibi finxit Scholam Faustinianam, nostris similem, in qua istae puellae congregatae excolerentur omnibus liberaliorum artium studiis, nec Praeneste, nec vllo alio in loco extitisse eo firmius habemus persuasum, quo certius est, illos auctores scholae nomine deceptos, absque fide et teste in illam, magnifice ab ipsis exornatam, incidisse opinionem.[23])

21.) cf. Danet *Diction. Antiq. Rom. Amstel.* 1701. *pag.* 69. Alimentarii Pueri, Alimentariae Puellae: *de jeunes garçons et de jeunes filles, qu'on élevoit dans des lieux publics, comme dans nos hopitaux du Saint Esprit, de la Trinité et de la Pitié. Car les Romains avoient certains lieux publics, où on élevoit et nourrissoit des enfans pauvres et orphelins de l'un et de l'autre sexe, dont la dépense se prenoit sur le fisc, ou sur de fonds, que les Empereurs et les particuliers avoient fait et léguer par testament pour l'entretien de ces hopitaux. On appelloit ces enfans* Alimentarii Pueri, *et les filles* Alimentariae Puellae. *On les nommoit aussi fort souvent du nom de leurs fondateurs et fondatrices.* etc. Hanc Daneti enarrationem silentio transire nolui, cum ea ansam praebuisse videatur opinioni de Orphanotrophiis apud Romanos vsitatis. Vnde hauserit sua Danetus profecto diuinare non possum, nisi paupertatis notio illum adduxerit vel de Orphanotrophiis cogitare, vel de hospitiis ad similitudinem eorum, quae serior aetas excogitauit, institutis.

22.) cf. *Specim. II. not.* 52 et 68.

23.) cf. *Specim. II. not.* 67. *pag.* 39. Hinc quoque irrita sunt, quae ex eodem fonte forsitan hauserit Rasche, (*Lexic. univ. rei num. Tom. IV. Part. I. pag.* 461.) *Ante mortem vero constat Faustinam fundamenta iecisse superbi aedificii, quo pauperes populi romani puellas alere constituerat, quod consilium nec mors ipsius irritum fecit, siquidem Antoninus illud absoluit et*

Negari quidem non potest, Traiani institutum spectasse horum puerorum ac puellarum educationem. In illa enim oratione, qua optimum laudat Principem Plinius, inter alia haec leguntur verba: „vt iam inde „ab infantia parentem publicum munere educa-„tionis experirentur."[24]) Quaenam autem educatio hoc loco sit intelligenda, satis apparet ex iis, quae idem Plinius statim addit: „locupletes ad tollendos liberos „ingentia praemia et pares poenae cohortantur; paupe-„ribus educandis una ratio est bonus Princeps. Hic „fiducia sui procreatos, nisi larga manu fouet, auget, am-„plectitur; occasum reipublicae accelerat."[25]) Et paulo inferius: „super omnia est tamen, quod talis es, vt sub „te liberos tollere libeat, expediat." Alimentis igitur infantibus datis excitauit Traianus parentes, vt tollerent liberos et reipublicae educarent. Quare etiam Plinius: „magnum est, ait, educandi incitamentum, tol-„lere liberos in spem alimentorum; majus ta-„men in spem libertatis, in spem securita-„tis."[26])

insignibus donauit reditibus. Quae Vir doctissimus ex Harduini *Observ. select. pag.* 776. desumta pro suo exornauit ingenio. Suaresii, Harduini, Vopisci auctoritate decepti, multi in hunc inciderunt errorem. Quare audiendus est Hieronymus (*in Eccles. XII.* 14.) qui recte monet: *Majorum* (i. e. antiquorum) *sequere vestigia, ab eorum auctoritate non discrepes. Alioqui quaerenti multa, infinitus librorum numerus occurret, qui te protrahat ad errorem, et legentem multa frustra faciat laborare.*

24.) cf. Plin. *Panegyr. Cap.* 26 et Bach. *Traianus pag.* 21. *sq.*

25.) cf. Plin. *l. l.*

26.) cf. Plin. *Panegyr. Cap.* 27.

Quam eandem rem idem Plinius significasse videtur in Epistola ad Saturninum. Cum enim annuos sumtus in alimenta ingenuorum esset pollicitus, idque oratione inter municipes suos habita declarasset, de ea edenda consuluit Saturninum, cui inter alia haec scripsit: „Vt „vero aliquis libenter educationis taedium laboremque „suscipiat, non praemiis modo, verum etiam exquisitis „adhortationibus impetrandum est. Nam si medici salu„bres, sed voluptate carentes cibos blandioribusque allo„quiis prosequuntur; quanto magis decuit publice con„sulentem, vtilissimum munus, sed non perinde popu„lare, comitate orationis inducere! praesertim cum eni„tendum haberemus, vt, quod parentibus datur, et orbis „probaretur, honoremque paucorum ceteri patienter et „expectarent et mererentur."[27])

Ex quo manifestum est, Traianum eumque sequentes, misericordes quidem fuisse atque benignos in ciues egenos eorumque liberos, hac autem ratione pueris puellisque alimentariis nec literarum nec artium peculiarem

27.) cf. Plin. *Epist. Lib. I. Ep.* 8. Quae in hoc Plinii loco aliquid obscuritatis habere videntur, commodissime explicari posse arbitror ex more eorum, qui populo aliquid commodantes, nil nisi munera gladiatoria, epulas et hujus generis plura exhibere solebant. Qui igitur modus loquendi in commendandis illis muneribus obtinuerat, hunc retinuisse videtur Plinius de beneficio longe vtiliori locuturus. Vltima vero verba a Gesnero recte et optime explicata puto, qui: *plures*, inquit, *erant in parentum classe, quam vt ad omnes eodem tempore liberalitas illa, quantumuis magna, peruenire posset. Enitendum igitur sibi fuisse, ait* Secundus *noster, vt plures illi, qui non statim frui possent beneficio illo*, paucorum honorem et expectarent patienter, *dum ad ipsos quoque voluentibus annis perueniret*, et interim mererentur, *dignos se illo praestarent.*

prosperitate institutionem, licet et Imperatorum et priuatorum nonnullorum hominum cura de excitandis literarum et artium studiis haud quaquam sit neganda, quae tamen nihil commune habuisse videtur cum Alimentariorum institutis. Ita Plinius cum audiuisset, municipis sui filium literis operam dare Mediolani, quia patria vrbs carebat praeceptoribus, reprobauit non tantum hanc rationem; nusquam enim, contendit, pueros iucundius morari, pudicius contineri, minori sumtu ali atque erudiri, quam in vrbe patria, sub oculis parentum, a praeceptoribus publice conductis; sed libere promisit quoque, se tertiam partem ejus, quod conferre municipibus placeret, daturum, vt conducerent praeceptorem.[28]) Quod genus liberalitatis, si habuisset aliquam similitudinem vel conjunctionem cum alimentariorum beneficio, id non legeremus commemoratum a Plinio tanquam singulare quoddam beneficium in municipes suos collatum. Majus hujus generis beneficium fuisse videtur Hadriani, vt reliquas reliquorum Principum liberalitates in literas taceam, exhibitum Athenis, communi vulgo matri studiorum.[29])

28.) cf. Plin. *Epist. Lib. IV. Ep.* 13. Multa sunt, quae hunc Plinii locum maxime commendent, vt vix mihi temperare possim, quin totum transscribam. Vera videntur omnia, praeter haec, quod nempe sperat de suo diligentes, qui negligentes de alieno fuerint, et quod claros velit induci praeceptores, cum multi, immerentes, non suo, sed aliorum studio sint clari, et quae probitatem quidem illustret, praesentia atque inuidia, famam tamen minuat: vellem probos, diligentes, honestos commendasset, nec in eundem incidisset errorem, a quo municipes suos liberare conatur.

29.) Dio Cass. *LXXI.* 31. (et *LXIX.* 3 et 23)

Quae cum ita sint, vere videor posse contendere, hanc Alimentariorum educationem, nec puerorum institutionem spectasse, nec disciplinam iuuenum, sed solam nutritionem, quo sensu illud vocabulum legimus quoque vsurpatum a Plinio majori, qui: Galactitis, inquit, in educatione nutricibus lactis foecunditatem facere dicitur.[30])

Ex hac ratione satis quoque intelligi posse arbitror, qui fiat, vt in legibus distinguantur relicta in alimenta, ab iis, quae relicta sunt in eruditionem puerorum.[31]) Quam eruditionem cum alimentis minime esse confundendam, recte quoque colligimus ex illa pecuniae summa, quam in vtroque illo munumento, lapideo altero, altero ex aere conflato, legimus datam pueris atque puellis a Traiano et Plinio, in alimenta tantum suffecturam.

Quo igitur consilio Alimentariis data sint haec beneficia, cum nec cultum sacrum spectarent, nec puerorum orbitatem et eruditionem, sed pertinerent modo ad victum; hanc dubitationem, quamquam nulla est, tamen ne qua possit esse, tollere studebo. Voluerunt nempe Principes hac ratione sibi comparare belli subsidia[32]) et

30.) cf. Plin. *H. N. Lib. XXXVII.* 10.

31.) cf. *L.* 117. *D. de leg. et fideicomm. I.* cf. *Specim. II. not.* 64. *pag.* 36. Quare quam Kappius *de Alimentar. pag.* 7. sequitur rationem, haud probandam censeo, nec Casp. Barthii conjecturam ab illo laudatam. Eodem errore cum his laborare videtur Dukerus *de Lat. Iurecons. pag.* 445.

32.) Si quis hoc loco vti vellet argutiarum commentis, cum ex lapide, *Specim. II. pag.* 29. allato, Nolae alimentariorum instituta fuisse contendant, posset huc trahere, quem morem iuuenilis pugnae ab antiqua institutione profectum laudat Ambrosius Leo, *Antiq. et Histor. Vrbis Nolae Lib. III.*

ornamenta pacis. Quod satis luculenter docet Plinius in ista oratione Traiano dicta: ex his, inquiens, castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur, quibus alimentis non opus sit.[33]) Quod nonnulli haec instituta in sui suorumque gloriam conseruarunt potius, quam ad ciuitatis populique incrementa, hoc cum factum sit ex more atque ingenio illorum temporum, non impedit, quo minus verbis Plinii subscribamus. Nam non solum pueri atque puellae acceperunt nomen suum ex iis, quos Principes hoc honore dignos iudicabant, sed aliae quoque res et instituta. Sic Seuerus ille, qui instituerat in honorem Mammaeae matris pueros puellasque Mammaeanos et Mammaeanas, instituit quoque certa palatii cubicula ex matre dicta Mammaeana.[34]) Et

Cap. XIII. pag. 89. Sed cum eam sequamur rationem, quae in eruenda et illustranda antiquitate sola est probanda, assidua nempe veterum scriptorum lectio atque collatio, diligensque contemplatio ac meditatio priscorum monumentorum, mittamus omnia, ceu ridicula, quae vel memoria vaga, intempestiue consulta, temere suggerit, vel tumens ingenium, nubem pro Dea amplexum, portentosa progenuit prolixae eruditionis monstra.

33.) cf. Plin. *Panegyr. Cap.* 28. col. *Cap.* 26: — *alimentisque tuis ad stipendia peruenirent.* — Puellas igitur, quae ad stipendia peruenire non poterant, in primis spectare videtur illud: *ex his quandoque nascentur* etc.

34.) cf. Lampr. *Alexand. Sever. Cap.* 25. *In matrem Mammaeanam vnice pius fuit, ita, vt Romae in palatio faceret diaetas nominis Mammaeae, quas imperitum vulgus hodie ad Mammam vocant.* Sunt, qui putent in hortis tantummodo, deliciarum causa aedificatas habitationes, diaetas vocari. Alii diaetam esse coenaculum, in quo aestate ad vmbram, hieme ad solem coenaretur, auctoritate destituti tradunt. Multi sunt loci in Epistolis Plinii, quibus apparet, hoc graeco vocabulo dicta esse, quae vulgo cubicula.

Commodus omnia ex nomine suo dici voluit Commodiana.[35])

Optime igitur prospexerunt Principes augendo cum ciuium tum militum numero, illa ratione diligentissime excogitata. Nam ante illorum tempora alia augendi ciuium numeri ratio obtinuerat. Reges quidem ante Tullii aetatem, quosuis exteros recipientes, magna hominum frequentia ciuitatem auxerant; Tullius vero, ne solitudo in republica existeret, seruos adeo libertate donatos in ciuitatem et iuris aequabilitatem recipi iussit.[36]) Quam rationem posterior aetas retinuit,[37]) vel vrbibus vniuersis aut societate iunctis aut deditis bello, impertiens ciuitatem, ne deessent, quibus committerent causam suam armis defendendam.[38]) Hinc vero tristissima imposterum orta sunt tempora.[39]) Fieri enim non potest, vt aut boni

35) cf. Dio Cass. *LXXII.* 15. Κομμοδιανὴν γοῦν, τὴν δὲ Ῥώμην αὐτὴν, καὶ τὰ στρατόπεδα Κομμοδιανὰ, τὴν δὲ ἡμέραν ἐν ᾗ ταῦτα ἐψηφίζετο Κομμοδίαν καλεῖσθαι προσέταξεν. Ipse Commodus Senatum in Epistola ad hunc data dicit γερουσίαν Κομμοδιανήν. *ib. eod.* cf. Lamprid. *Commod. Cap.* 8. 15. et 17. Huc quoque pertinere videntur, quae habet Lamprid. *Diadum Cap.* 2. *Parauerat sane penulas populo coloris rosei dare Macrinus Imperator, in honorem Antonini filii sui, quae vocarentur* Antoninianae, *ut Caracallae Bassiani dicta sunt, asserens filium suum penuleum vel penularium dicendum, quia Caracallus esset dictus Bassianus.*

36.) cf. Dionys. Halicarn. *Lib. IV. cap.* 2. *ed. Sylburg. pag.* 225. *sq.*

37.) cf. Dionys. Halicarn. *l. l.* et Dio Cass. *XXXVI. Cap.* 25. et Asconius Pedian. *ad Cicer. pro Mil. Cap.* 8. *pag.* 825. — Hinc quoque factum est, vt in posterum ciuium multitudo in immensum excresceret et saepius seditionibus materiam praeberet. cf. Dio Cass. *XXXVIII.* 1.

38.) cf. Dio Cass. *XLI. Cap.* 55. 59. 60. *XLIII. Cap.* 5. et 21.

39) Dio Cass. *XL.* 45. 46.

sint ciues, qui vndecunque collecti, nihil sibi defuturum arbitrantur, dum sit, vrbibus ad praedam propositis, quod rapiant et auferant; aut milites probi, qui pares barbaris scelere, [40]) industria belli inferiores, nefario latrocinio delectentur. Quis autem est, qui nesciat, omnem fere rempublicam tum exarsisse grauissimis odiis, improbissimis fraudibus, sceleratissimis rapinis ac caede nefanda? Nulla ciuium pietas, nullus pudor, nulla virtus! libidines imperabant, cupiditates militabant, inertia vtebatur iure ciuitatis. In ista hominum colluuie, conflata e libertis, seruis et aduenis, pro pietate erat auaritia, [41]) pro honestate luxuria, pro laude turpitudo, priuatim praua opulentia, publice summa egestas. [42])

Qualis ergo tum temporis fuerit respublica romana, facile intelligitur; nec facies eius conspicitur immutata sub primis imperatoribus, immo bonis proscriptis et interfectis deterior est facta. [43]) Namque Julius Caesar armis contra rempublicam sumtis, vt haberet, quibus domi militiaeque confideret, cum maxima pars ciuium, vrbe relicta ad Pompeium transiissent, vniuersas Hispaniae et Galliae vrbes ciuitate donauit, ibique delectum habuit,

40.) cf. Dio Cass. *L.* 10.

41.) cf. Dio Cass. *XXXVII.* 57. *XXXIX.* 55.

42.) cf. Dio Cass. *XXXVII.* 30. — Fusius hac de re exposuit Levesque *Histoire critique de la république romaine*, *T. III.* (*Paris* 1807)

43.) cf. Dio Cass. *XLVIII.* 6. 7. cf. *XLVII.* 14. 17. 26. 27. 39. *XLVIII.* 19 *L.* 11. Factum adeo est Senatus consultum, ne quis Senatores, qui, forsitan in gratiam Augusti et Antonii, priuato sumtu, alebant milites, a latrocinio ([illegible]) haud abhorrentes, in ius vocaret ea de causa. cf. Dio Cass. *XLIX.* 43.

ex quo legiones conficeret.[44]) Quales autem hi milites fuerint, apparet quodammodo ex ista oratione, a Caesare, teste Dione,[45]) contra inique tumultuantes habita. Pompeius vero saepe nesciebat, vnde manus cogeret copiasque pararet.[46]) Caesare denique interfecto, cum Augustus ad clauum imperii sederet, videretque ciuitatem proscriptionibus, caede[47]) ac libidinibus pene confectam, — tanta enim cujusque ordinis ciuium romanorum erat morum corruptela, vt legitima matrimonia vel omnino non inirent, vel educationis curam atque laborem fastidientes, non tollerent legitime natos; — voluit quidem huic calamitati legibus[48]) occurrere, propositisque praemiis ac poenis ciues dissolutos adducere, ne cum suis gentibus intermori paterentur vniuersam Romanorum ci-

44.) Iulius Caesar Gaditanos omnes ciuitate romana donauit, cf. Dio Cass. *XLI.* 24. Gallis, qui cis Alpes trans Padum incolebant, quod sub suo imperio fuissent, ciuitatis ius dedit, cf. Dio Cass. *XLI.* 36. 55. 59. 60. Porro dedit ciuitatem Cordubensibus cf. Dio Cass. *XLVIII.* 39. et Vticensibus, cf. *id. Lib. XLIX.* 16. et *Lib. XLI.* 51.

45.) cf. Dio Cass. *XLI.* 26. *XLIX.* 34.

46.) cf. Dio Cass. *XL.* 66. *XLI.* 26. *sq.* et 51.

47.) cf. Dio Cass. *XLVIII.* 6. 7. — *Lib. XLVI.* 33. *XLVII.* 3. 4. 6. 7. 8. In ista caede, quae tanta erat, vt ciuium romanorum iuuentus magni momenti non superesset (cf. Dio Cass. *LVI.* 23.) laudatur seruorum probitas, Dio Cass. *XLVII. Cap.* 10. et 13.

48.) cf. Dio Cass. *LIV.* 16. *LVI.* 1. 6. 7. 8. 9. Hanc rem spectasse videtur Horatius, (*Lib. II. Epist. I.* 1. *sqq.*) qui *res italas* ab Augusto dicit *moribus ornatas et emendatas legibus.* Et populum romanum praedicat sapientem et iustum in hoc vno, *anteferendo* scil. Augustum Romulo et Graiis ducibus h. e. ei praesenti diuinos largiendo honores. Hinc Augustum appellat Horatius Iouem *Lib. III. Od. V.* et *Lib. I. Epist. XVIII.* 111. col. *Ep. XIX.* 43. quod ad hunc locum iam odoratus est Lambinus.

uitatem: sed non valuit haec medicina istam propellere pestem.

Ne vero omnem spem, proterue elusam, plane abiiceret, ciuium denique mores voluit emendare et reddere legibus conformes, oris facundia.[49]) Sed quis vnquam orator id assecutus est, vel sententiarum grauitate, vel pondere verborum, vt nefarias hominum consuetudines reuocaret ad laudabile studium virtutis?[50]) Si quid vero

49.) cf. Dio Cass. *LVI.* 1. *sqq.*

50.) Vera sunt, quae, teste Dion. Cass. *LXXI.* 34. dixit Antoninus Philosophus: *ὅτι ποιῆσαι μὲν τινι ἀνθρώπους, ὁποίους βούλεται ἔχειν, ἀδύνατόν ἐστιν.* — Nihil valere eloquentiam ad animos hominum peruersorum emendandos, exemplo Demosthenis, — quidni et Ciceronis? — docet Russovius in illa dissertatione: *Si le retablissement des Sciences et des Arts a contribué à épurer les moeurs,* quae legitur *Oper. ed. Bipont.* 1782. *Tom. XIII. pag.* 36. Verba ejus sunt: *Toute l'éloquence de Démosthène ne put jamais ranimer un corps, que le luxe et les Arts avoient énervé.* Lutherus, — qui teste Gratiano *de casib. vir. illustr.* ed. Flecher. Lut. Par. 1680. *pag.* 144. tantum in literarum atque eloquentiae studiis profecerat, vt dissertissimus germanici sermonis haberetur: nam quae latine scripsit, ex Gratiani sententia plane inquinata sunt et barbara; cujus rei causam ipse Lutherus vberrime exposuit in libello suo: *An die Rathsherren aller Staedte deutsches Landes: daſs sie christliche Schulen aufrichten und halten sollen;* — Lutherus idem pro suo more ita expressit: *Alte Schälke kann man nicht fromm machen.* — *Forsan et haec olim meminisse iuuabit!* His Virgilii verbis mirum in modum commendat id genus conferendi dicta sapientissimorum cujusque aetatis non adeo dissimillima, Denis. (*Zurückerinnerungen Wien* 1794.) Digna quoque videntur, quae in memoriam reuocentur, quae habet Pancirollus, de Magistr. Municip. *pag.* 24. *Nam, vt ait optimus orator, ad illum major pars hominum decurrit, quem ingenio natura donauerit. In qua re est considerare semper, quid unusquisque magis sentiat, quam loquatur. Constat enim apud omnes, quod nec summa nobilitas, nec opum affluentia, aut subnixae tribunalibus potestates, aut eloquentia literis acquisita, consecuta est vtilitates artium: sed ingenii tantummodo magnitu-*

Augustus orator praestiterit in salute populo romano restituenda, qui in gubernanda republica eum sequebantur, non tantum non sustinuerunt praeclara illius instituta, sed in omne genus immanitatis proruentes, [51]) ea potius sustulerunt adeo, vt deessent, qui ex lege vel in ordinem Senatorium legi, vel Consules creari possent. [52]) Corruptam igitur moribus atque fortuna ciuitatem, bracteata licet felicitate vtentem, Augustus moriens administrandam tradidit in imperio successoribus, a divo quidem Iulo ortis, sed eadem, qua ceteri, morum corruptela deprauatis. [53]) Nulla igitur salus speranda nec principi nec reliquis ciuibus in tanta omnium ordinum infamia.

Iam ab exteris populis reuocanda erat Romam virtus, quae olim Romae nata, vltra Italiae fines ad exteras natio-

do, quae virtutum omnium mater est, naturae felicitate subnixa, quod quidem sine personarum electione videmus accidere. Nam cum barbarae nationes neque facundia polleant, aut dignitatibus illustrentur, minime tamen a rerum inventione, natura opitulante, habentur alienae.

51.) e.c. Nero, qui teste Dione *Lib. LXIII.* 12. 17. 18. caedem ciuium renouauit, ipsosque pueros atque puellas occidi iussit, cf. *Cap.* 10 et 13. *Lib. LIX.* 13 et 22.

52.) cf. Dio Cass. *XLII.* 51. *XLVIII.* 34. 43. *LIV.* 26. *LVIII.* 23. — Ordinem equestrem diminutum, allectosque in eum ex omni imperio homines, affinitatibus et opibus praepollentes, commemorat Dio Cass. *Lib. LIX.* 9.

53.) Sub Claudio ius ciuitatis adeo vile factum est, vt abiret in prouerbium ὅτι κἂν ὑάλινά τις σκεύη συντετριμμένα (rem nullius pretii) δῷ τινι, πολίτην εἶναι. cf. Dio Cass. *LX.* 17. Domitianus ipsum imperium seruituti suae mancipatum credebat. cf. Dio Cass. *LXVII.* 7. cf. *LXVII.* 18. — Recte igitur Domitius, Neronis pater, non ex vaticinio, sed ex suis et Agrippinae moribus praeuidisse videtur, ἀδύνατον εἶναι, ἄνδρα τινὰ ἀγαθὸν ἔκ τε ἑαυτοῦ καὶ ἐκ ταύτης γεννηθῆναι. cf. Dio Cass. *LXI.* 2. Tacit. *Annal. XII.* 3. et Sueton. *Ner. Cap.* 6.

nes fuerat propagata.[54]) Extincta cum Nerone gente Iulia, cum imperii dignitas nondum pro arbitrio militum cuique plurimum licitanti addiceretur, sed potius traderetur iis, quos omnes nouerant fortitudine atque virtute claros, vnus Nerua, non abhorrens a disciplina Christianorum,[55]) et qui hujus auctoritate in ipsius locum successerat Traianus nec Romae natus nec in Italia educatus, sed Hispania ortus, et teste Dione,[56]) amoris plus quam honoris cupidus, contra illam pestem, longius latiusque serpentem, prom-

54.) Iam Vespasianus, teste Dione *Lib. LIX.* 12. cf. Sueton. Vespas. *Cap.* 5. is est iudicatus, qui sit constituturus res perturbatas atque confusas. — Titum compararunt cum Augusto, cf. Dio Cass. *LXXVI.* 18. Vtrumque tamen vicit Traianus virtutibus. cf. Dio Cass. *LXVI.* 8. 10. *LXVII.* 13. 15. *al.*

55.) cf. Dio Cass. *LXVIII.* 1. — Peruulgatum est, ait Reimarus ad *Lib. LXVII.* 14. Christianos primis temporibus Iudaeorum nomine peti. Reputabantur enim pro Iudaeis, vel certe secta Iudaica, quod ex Iudaeis orti essent, quod Iudaeos haberent doctores, quod in doctrina et ritibus, quoad pleraque, conuenirent. Ad Iudaeos vere sic dictos, ea aetate, paucissimi Romanorum, praesertim nobilium, ad Christianos plurimi transibant, et totam Clementis familiam fuisse Christianam verisimillimum est. cf. Sueton. Claud. *Cap.* 25.

56.) cf. Dio Cass. *LXVIII.* 7. et 30. qui dissertis verbis dicit: *Τραϊανὸς φιλούμενός τε ὢν ἐπ' αὐτοῖς (Ῥωμαίοις) μᾶλλον, ἢ τιμώμενος ἔχαιρε.* Nec dubium mouent, quae leguntur *Cap.* 30. (*μεγαληγορήσας ὑπὲρ ἑῶν καὶ κατειργάσατο.*) Idem enim et Plinius, *Panegyr. Cap.* 72. *Nihil Traiano amore ciuium antiquius*, cf. *Cap.* 85 *sqq.* Nec hanc Traiani laudem possunt imminuere, quae habet Vict. *Epit. XLI.* 13. Traianum scilicet a Constantino M. *herbam parietariam* ob titulos multos aedibus inscriptos appellatum fuisse. cf. Wolfius *V. C. l. l. p.* 13. qui praeclare hac de re disseruit. — Vidit nempe Traianus, quod teste Dione *Lib. XXXVII.* 12. noluit videre Mithridates, quem ceteroquin dicit *σοφώτατος ἐς πάντα τὰ βασιλικὰ γενόμενος.* Is enim non animaduertebat, nihil neque arma, neque multitudinem ciuium valere, sine eorundem mutua beneuolentia; quin immo haec ipsa, si absit fides, tanto esse perniciosiora, quanto sunt plura.

tius reperisse videntur remedium et efficacius, idque malum ab imis radicibus eruere studuerunt, cum non proceres tantum reipublicae, sed vniuersum populum, plebe haud neglecta, iuuarent beneficiis.[57]) Et cum recte dubitarent de pietate atque in patriam ac principem amore eorum, quos legibus ac vinculis naturae non contineri intelligerent; id ante omnia curarunt, vt parentes amore liberorum ducti discerent patriam amare seque ac suos sperare saluos, salua republica, Principe bono. Promiserunt igitur atque dederunt parentibus egenis tantum, quantum tum temporis cuique probo satis erat, vt libenter in se susciperet educationis curam atque laborem. Antea enim pauperibus nullum concedebatur beneficium, sed qui vi atque potestate pollebant, ad se rapere solebant omnia. Praedas bellicas militum duces cum paucis diripiebant, et parentes et parui militum liberi, vti quisque potentiori confinis erat, sedibus adeo pellebantur.[58]) Traianus autem, romani nominis spem sumtibus suis ita suscepit, vt parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor eum exciperet reipublicae parentem.[59])

57.) Laudatur quidem ob simile factum Caesar, cf. Dio Cass. *Lib. XLIII.* 17. 25. 50. Augustus cf. Dio Cass. *LVI.* 32. 41. Liuia, cf. Dio Cass. *LVIII.* 2. Claudius, cf. Dio Cass. *LX.* 16. sed ob ea, quae idem Dio *Lib. XLVIII.* 9 *et alibi* enarrat, prae omnibus illis palmam tulisse Traianus iure videtur.

58.) cf. Sallust. Bell. Iugurth. *Cap.* 41. — En! iam vides Romam, cujus imago non multum abludit ab ea, quam suo tempore depinxit Dupaty, *Lettres sur l'Italie Tom. I. Let.* 44. *pag.* 161. his verbis: *Quoi? c'est la Rome! — Non cette ville, ce n'est pas Rome; c'est son cadavre: cette campagne, où elle gît, est son tombeau; et cette populace, qui fourmille au milieu d'elle, des vers, qui la dévorent.*

59.) cf. Plin. *Paneg. Cap.* 26.

„O factum laudabile! o rem praeclaram, egregiam, il„lustrem, celebrandam! hanc imitamini, per Deum im„mortalem, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam „quaeritis. Haec ampla sunt, haec diuina, haec immor„talia: haec fama celebrantur, monumentis annalium man„dantur, posteritati propagantur." Ita iudicare, ita pronuntiare solent, quos excitat laudis ac gloriae cupiditas, quos stimulat generosae mentis ardor; qui non in umbra vulgares inter coetus latentes facta ceterorum illustria admirari, sed in ipsa luce ac celebritate versari, atque suas peragere partes in ea concupiscant scena, vnde in plurimorum oculos suspiciendi incurrant.

Multa quidem sunt, quae nos invitant, vt Graecorum et Romanorum nationem prae ceteris diligamus.[60]) Nec defuerunt omni tempore, quibus, quae illos commendat vitae veritas, artis probitas, orationis simplicitas, semper placebat: sed eos vix iudicem doctos atque intelligentes Graecorum et Romanorum existimatores, qui inflammati cupiditate, luxuria et vanis titulis, in omni vita prave imitentur Graeca atque Romana; qui non bona sed vitiosa imitando consectantes, cum his populis malint insanire, quam cum sua gente sapere. Sunt enim, quibus nihil probatur, nisi quod antiqua arte sit effictum; qui sine diuite vena, carminibus ad modos et numeros illorum populo-

60.) Notatu digna sunt, quae Rubeus supra laudatus, *pag.* 196. explicationi notarum COLL. IVVEN. addidit. *Sed ita videtur*, inquit, *multis optima quaeque instituta ab Romanis esse orta: quasi vero ante Romam Numamque non habuerit Orbis et quaeque adeo ciuitas, regiminis imperiique continuam atque inexhaustam naturam.*

rum adornatis, sibi videntur poëtae aetatis nostrae elegantissimi; qui miserrimi verborum architecti, quod Cicero in Stoicis notat, lectulis accubantes et pessime hallucinantes antiquae et verae philosophiae haberi volunt praeceptores; qui oscitante et dormitante sua sapientia, in quam cadit illud Virgilianum: dat sine mente sonum, male imitantur Platonem, cujus numeri in prouerbium abierunt;[61]) qui forma splendentes ac toti de capsula, dum e Graecis et Romanis homines perditos sibi adsumunt in exempla vitiorum, se intolerantius iactant antiquitatis amatores. Qui vero omnes, et hoc genus alii, pessime aberrant a vera antiquorum temporum virtute.

Si quid enim est, quod exemplo Graecorum et Romanorum peragendum arbitremur, sit prae ceteris eorum constantia atque fortitudo in perferendis fortunae malis, eorum iustitia atque aequitas, in tribuendo suum cuique, eorum continentia a rebus friuolis et inanibus, eorum probitas, pietas, labor, patientia, et quae sunt reliquae virtutes, quas vero omnes, luce iam accensa, rectius discere possumus ab eo, qui diuinitus datus et verbis et factis nos praeclarissime docuit, quae vera sit virtus, et quibus rebus ad veram gloriam peruenire possimus.

61.) cf. Cic. ad Attic. *Lib. VII. Ep.* 13. *Platonis numero obscurius.* De Platonis obscuritate optime exposuit Eusebius *Praepar. Euangel. Lib. XIV. Cap.* 15. — Ejusmodi homines famam eruditionis affectant, et vt quaedam soli scire videantur, rem, quam quaeuis muliercula aut cerdo dicturus sit, vt Erasmi verbis vtar, spinis quibusdam ac verborum portentis implicant et inuoluunt. Quare non nisi pessime ingeniosi sunt habendi, qui capi non possunt, immo ne volunt quidem sine alieni ingenii cruciatu et tormento.

Haud vereor esse, qui, quae dixi, mihi dare velint crimini, quasi illos antiquos, quos tamen admiror, velim excludere omni honore, vel in contemtionem adducere antiquarum literarum doctrinam, quam vehementer amo, atque suspicio cum omnibus, qui in ornandis bonarnm artium studiis operam haud inutilem collocant.

Libere dicam, quae sentio. Omnia ab hominibus vulgo ad salutem vel vnius ciuitatis vel totius generis humani excogitata atque instituta, quae non manant ex lege diuina, sed oriuntur ex ignoratione verae honestatis, licet prae se ferant falsam beneficii laudem, ac, splendore suo profanorum hominum excitent admirationem; imperfecta tamen sunt, nec queunt dare veram salutem. Iuuant, vt venena quandoque iuuare solent, et virtutem illudunt arte haud probanda, quae tamen ex opinione quorundam non semper dedecet. Cum vero omnis virtus, vera atque perfecta, sit a Deo, coelitusque delapsa nequeat sine Dei consilio viuere atque agere; recte omnem liberalitatem sine religione certaque persuasione de Dei voluntate vel inpiam iudicamus, vel nihil.[62]) Quare etiam Traiani

62.) Quod olim de splendidis vitiis ethnicorum e loco Paulino ad *Rom. XIV.* 23. male intellecto (cf. Kopp. ad h. l.) disputatum est, nec defendere velim, nec probare iniqua iudicia eorum, qui, quamuis Petrus (*Actor. X.* 35.) id affirmet, negant, homines omnium gentium, pro cognitione et sensu suo recte agentes, Deo probari. Cum vero *vnus* sit Deus, *vna* virtus, hoc in magnam me adducit solicitudinem, quod tam multi sint homines christiani, qui, more idololatrarum, *exemplis*, non *exemplo*, ad imitandum ipsis proposito, velint erudiri ac perfici. Recte monet Kaestnerus (*l. l. p.* 147. *Wieviel würde der christliche Glaube nicht gewinnen, wenn seine Bekenner durch ihre Handlungen wiesen, daſs er in Absicht auf die Ausübung*

ac reliquorum cura circa pueros atque puellas, cum non mentem atque virtutem, sed corpus atque victum, non humanitatem et Deum, sed ciuitatem et bella spectaret, non tam efficax fuit, quam visa est adhuc multis, nec in posteros potuit propagari, etiamsi essent, qui eam vellent conseruatam. Ita enim erat comparata, vt procedente tempore ex ipso vitiorum remedio vitia nascerentur noua.

Quidquid igitur Traianus ac reliqui, quisque pro suo ingenio, ad sanandam ciuitatis Romanae ac totius fere imperii calamitatem instituerunt de pueris, meo quidem iudicio, non tantum valet, quantum vna illa vox Christi, recte intellecta: ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με.[63])

Ego vero is, qui sum, quantuscunque sum ad iudicandum, illa virtute, qua antiquitas commendatur, diligenter obseruata, sine omni dubitatione sic statuo ac iudico, neminem omnium, tot et tanta, quanta sunt in

der Tugend, einen gleichen Vorzug vor ieder andern Religion hat, daſs ein Christ verdient, vom Socrates bewundert zu werden. At vera sunt, — et quis est a literarum studiis non abhorrens, qui hunc virum ignoret? — quae Franciscus Henriquez de Villacorta (*Opera chirurgica omnia, Amstel.* 1673 *in Praef.*) scripsit: *iam dudum res eo peruenit, vt neminem fere, quisnam sit, noscere possis, nisi ex corporis externo habitu* etc. Idem iam questus est *Bened. Accolt. Aretin.* in *Dialogo de praestantia vir. sui aeui*, statim ab initio. Pauca tantum delibabo, huc potissimum facientia: *Quorum*, inquit, *vita cum operibus vere fuit admirabilis, eorum perpetua et stabilis permansit gloria, quorum vero fucata coloribus falsarum rerum fama exorta est, quia fragili fundamento nitebatur, cito corruit, atque obscurata est.*

63.) cf. Marc. X. 15. Luc. XVIII. 16.

Christo, habuisse verae probitatis ornamenta. Is enim, cum vellet esse nostrae calamitatis non adiutor solum, verum etiam socius, pro nostra salute nullam vim, nullos impetus, nullum vitae discrimen putavit vitandum.[64])

Quamobrem, si hoc idem existimant omnes quos vel ante doctrinam hoc genus pietatis spernentem natos, vel illam auersantes, non decipit exemplar vitiis imitabile, non erit, vt opinor, iniqua partitio, si, cum hunc animum probum, quem ad exempla veterum Graecorum et Romanorum fingere instituunt, crearint, aluerint, confirmarint; tradant eum Christo et emendandum et ornandum. Quicunque enim a teneris sequi didicerit venerandam illius rationem, is cum non careat vera virtute eaque fiducia, quae nititur religione ac pietate, non tantum acrioribus remediis aliorum saluti subueniet, sed ipse egens opis externae, sibi inueniet in illa vitae sanctimonia optimum fortunae solatium, nec in summa miseria spem salutis abiiciet vnquam. Qui vero, omnia, non bene consulta, in virtutem trahentes, istam sanctimoniam parui pendunt, eamque in beneficentia, liberalitate et omni vita, nullius esse momenti dicunt, dum impietatis vituperationem, quae maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, inhumanitatis. Reddunt enim homines, sine virtute, pietate atque consilio, deteriores, et temere dando agendoque, non ad virtutem, sed ad idem semper expectandum paratiores.

64) ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, ὑπέμεινε σταυρὸν, αἰσχύνης καταφρονήσας. *Ebr. XII.* 2.

Quare, cum tam multa hodie pueri doceantur, discant in primis Christi exemplum sequi, auresque adferre sitientes monenti:

Disce puer contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo, et quae sit, poteris cognoscere, virtus.
Da dextram misero, et fratrem ne desere frater,
Si iungi hospitio properat, conjunge volentem.
Casta pudicitiam seruet domus: en age segnes
Rumpe moras, rebusque veni non asper egenis. —[65]
Discite iustitiam moniti, et succurrite fessis
Pro se quisque viri, cuicunque est copia, laeti,
Communemque vocate Deum, meliora sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Via prima salutis
Intemerata fides, et mens sibi conscia recti.[66]

65.) cf. Luc. *XVIII.* 18. *sqq.* cf. Matth. *XIX.* 19. *sqq.* et Marc. *X.* 17. *sqq.*
66.) cf. Matth. *V. sqq.*

Addenda et Emendanda.

Spec. I. pag. 18. ad Not. 24. cf. Boecler. *de annon. sub imperatt. rom. pag.* 522 *et* 529.

Spec. II. pag. 19. lin. 1. leg. *distribuendis.*

21. Not. 38. leg. cf. *Not.* 53.

24. - 46. leg. cf. *Not.* 42. — addatur: *E ratione Nepotis Att. II.* 6. *septem modii conficiunt medimnum.*

25. lin. 6. del. *Procu-*

26. Not. 49. add. cf. Mutii Phoebonii *Hist. Marsor. Lib. III. Cap. V. pag.* 139. Camarrae *de Theate Antiquo Lib. III. Cap. V. pag.* 25.

35. lin 3. 4. leg. *vt frenis auaritiae et vaganti licentiae iniectis etc.*

38. Not. 66. add. Nepos *Att. XIII.* 6. dicit *Pomponium lautum equitem romanum, qui non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines inuitauerit,* et addit: *scimus, non amplius, quam terna millia aeris,* (=60 ℔. 18 gr.) *per aeque in singulos menses, ex ephemeride eum expensum sumtui ferre solitum.*

42. Not. 63. lin. 2. leg. *goderne.*
lin. 4. leg. *oltre.*

43. Not. 68. add. Diribitorium *aedificium distribuendis frumentis, pecuniis et aliis rebus destinatum* cf. Dio Cass. *LV.* 8. *coeptum ab Agrippa, ab Augusto finitum, imposterum vero collapsum. Fulmine enim tactum, combustum est aetate Titi.* cf. Dio Cass. *LIX.* 7. et *LXVI.* 24.

45.) Not. 71. leg. cf. *Cod. Theod. Lib. XI.*

